
UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON

B-88/4-13

Marie Louise mon Bijou

BIBLIOTHECA DE PHILOSOPHIA
N.º
COIMBRA

FLORA ROSSICA

SEU

STIRPIUM IMPERII ROSSICI

PER EUROPAM ET ASIAM

INDIGENARUM

DESCRIPTIONES ET ICONES.

JUSSU ET AUSPICIIS

CATHARINÆ II.

AUGUSTÆ

EDIDIT

P. S. PALLAS.

UNIVERSIDADE DE COIMBRA
JARDIM BOTANICO

BIBLIOTHECA DA UNIVERSIDADE

TOMI I. PARS II.

PETROPOLI,

E Typographia Imperiali, MDCCLXXXVIII.

P-2



DESCRIPTIONES
STIRPIUM IMPERII ROSSICI
PER GENERA.

BIBLIOTECA · CENTRALA · UNIVERSITATEA

P L A T A N U S.

PLATANUS orientalis. Tab. LI.

PLATANUS foliis palmatis. *Lin. ſyſt. plant. IV. p. 170. n. 1. Du Roy hort. harb. II. p. 130. Du Hamel arb. II. p. 171. n. 1. tab. 33.*

Roſſis et Perſis *Tſchinàr* (Чинарь). Tataris tauric. *Tſchinaar.* Georgianis *Tſchandary.*

Non ſatis liquet, an Georgiae indigena ſit arbor; culta forte et ex Perſia allata occurrit circa Tiflis et Achalgory, altitudine eximia, trunci peripheria ſaepe duarum orgyarum, ſpecioſiſſima arbor. Arbuſtim, truncis brachii craſſitiem aequantibus paſſim per Caucaſum obſervatur. In Bucharia et Perſia copioſe et procera provenit. Affinis *Platanus occidentalis* clima Petropolitanum in hortis imperialibus ita perfert, ut ſurculis quotannis e radice ſuccreſcat arbuſtim, nunquam in truncum aſſurgens.

Lignum trunci ſubrubens, duriſſimum, transverſis ſtriis gryſeo-fuſceſcentibus. *Folia* juniora ſubtus albo tomentoſa; antiquiora tantum petiolis. *Stipulae* vix ullae in adultis ramis, quo maxime a Platano occidentali differt. *Pedunculi* capituliferi glabri. Caeterum deſcriptionem arboris ſatis notae ſuppeditare ſupervacaneus eſſet labor. Icon ad ſpecimina Caucaſica parata eſt.

JUGLANS.

JUGLANS regia.

JUGLANS foliis ovalibus glabris ſubſerratis ſubaequalibus. *Lin. ſyſt. pl. IV. p. 164. n. 1. Du Roy hort. harb. I. p. 323. Blackwell. ic. t. 247. Du Hamel. arb. II. p. 50. n. 1. t. 13.*

Roſſis *Grezkiæ orechi* (Грецкïя орехи) i. e. nuces Graecae.
Tartaris *Kos*, *Choſterek;* in Taurica *Dſchaevis.*
Georgianis *Nigoſi*, nuces *Kakali.* Dugoris *Salgedde.* Oſſetinice *Ingus.*
Armenis *Angus.*

In Ucrania hortenſis paſſim durat. Cherſoneſo tauricae et Caucaſo frequentiſſima, culta et ex culturis hinc inde ſpontanea, eximia ſaepe magnitudine, ut trunci bipedalem diametrum excedant et ramis ampliſſimam umbram praebeant. A ſeptentrionali latere Caucaſi rarior eſt et ſolitaria, ſed in inferioribus ſubalpinis, verſus auſtrum tendentibus, per Cachetiam et Kartuel frequentiſſima et maxima, fere indigena. *Fructus* maturat ſub finem Auguſti.

QUERCUS.

QUERCUS Robur.

QUERCUS foliis deciduis oblongis ſuperne latioribus: ſinubus acutioribus angulis obtuſis. *Lin. ſyſt. plant. IV. p. 163. n. 11. Knorr. delic. hort. I. t. E 2. Ludwig. eclyp. t. 69. Gmelin. Flor. ſib. I. p. 150.*

Roſſice *Dub* (Дубъ); quercetum *Dubrowa* (Дуброва).

Livonis *Oſols.* Eſthonis *Tam.* Fennis *Tammi.* Morduanis *Tumà;* Tſcheremiſſis *Túma;* Votjacis *Tipi;* Vogulis *An;* Tſchuvaſchis *Juman.* Tataris *Emàn*, *Jmaen-agatſch*, gallae *Maſoë;* Nogaïce *Emem;* Bucharis *Emen*, *Miſcha;* in Taurica *Meſché*, *Pilit;* Chivenſibus *Bulut;* Turcis *Meſché;* Perſis *Pélut*, *Tſchubiſiag*; Curdice *Palut;* Arabice *Baalut*, *Chaſcha.*

Calmuccis *Charà-modon* (nigra arbor).

Georgianis *Mucha;* Tſchetſchengis *Notſch*, *Puepeſch;* Andis *Not;* Inguſchis *Neſhechè;* Lazis *Mikitz-ul;* Oſſetinis *Tuldſh*, *Balas;* Tſcherkeſſis *Shigié; Shiſhié.*

Armenis *Kagni*, *Pevénk*, *Laina-Taref.*

Manſhuris *Manga-móu;* Sinenſibus *Dſha-ſchu;* Japonenſibus *Karanúgi;* Ciganis *Dembos.*

Per omnem Ruſſiam temperatam et auſtraliorem paſſim nemora efficit et arbuſtim fere ubique provenit frequens; ſed ab Uralenſi jugo verſus Orientem, una cum Corylo, plane deficit et intra totius Sibiriae fines ignoſa eſt arbor. Certum tamen eſt eandem ultra Argunum fluvium et circa Amurem eumque ab auſtraliore parte influentes fluvios frequentem denuo occurrere, et adlatae mihi ex Argunenſi regione glandes vulgaribus noſtris ſimillimae ſunt viſae, unde verosimile fit, a meridionali parte alpeſtris jugi, quod Sibiriam includit, per omnem forte Aſiam continuari ſpeciem.

In maxime borealibus Ruſſiae naturaliter deficit Quercus, licet ſata usque ultra 60mum gradum vivat, et in Sibiria quoque vigere poſſe experimento probatum ſit *(Pall. itin. II. p. 272).* In auſtralibus Perſiae ſenſim deficere dicitur.

Floret apud nos medio Aprilis, in temperatis aeque ac in Caucaſo, quem usque in meridionalia promontoria occupat, inſigni paſſim magnitudine eminens. In campeſtribus vero, aridis, limoſis ad Dynaprin, Tanaïn et Volgam raro in truncum aſſurgit, ſed vulgo *arbuſtim*, ut ibidem Tiliae et Aceres, vix homine procerior, et ab imo ramulis diffuſis luxurians creſcit, foliis tamen plerumque latiſſimis et glandibus magnis atque confertis.

Caeterum

Caeterum in Ruſſia vulgo occurrit *varietas*, ligno deterior, quae glandes fert ſolitarias, pedunculatas, eademque Caſanienſi regno praeſertim propria eſt, unde nobis claſſica quercus.

Gallae apud nos in Quercu occurrunt variae, praeprimis in auſtralioribus, ubi gallas *foliorum*, gallas *ſpongioliformes* ramorum, et *lupuliformes* gemmarum fructiferarum obſervavi. *Glandibus* apud nos et ſues et anates ſaginantur; *cortex* ad duranda coria minus expetitus, quam ſalicinus.

QUERCUS Cerris.

QUERCUS foliis oblongis, lyrato-pinnatifidis: laciniis transverſis acutis, ſubtus ſubtomentoſis. *Lin. Syſt. pl. IV. p. 164. n. 13. Du Roy hort. harbec. II. p. 259.*

Nomina Tatarica et alia, ut in praecedente. Obſervante Cel. *Hablizl* copioſe creſcit in montibus Tauricae, inter Bachtſchiſarai etiam Inkerman, et in maritimis, paſſim ſatis procera. Occurrebat etiam Cel. *Güldenſtaedt* in Caucaſo, paeſertim ad fluvium Kſani circa Achalgory, unde ſpecimina in herbario vidi.

FAGI.

FAGUS ſylvatica.

FAGUS foliis ovatis obſolete ſerratis. *Lin. ſyſtem. plantar. IV. p. 167. Du Roy hort. harbec. I. p. 230. Doerrien. naſſ. 258. Du Hamel. arb. I. p. 234. t. 98.*

Roſſis *Búk* (Букъ) Tataris *Biuk.* Turcis *Tſchinàr.*
Calmuccis *Tſchina-modun.*
Georgice *Zypeli*, *Zipaeli.* Tſcherkeſſis *Bſhïe.*

Arbor per Ruſſiam borealiorem et temperatiorem nullibi occurrit, ſed apparet paſſim in provinciis maxime meridionalibus, et in Caucaſo atque montana parte Cherſoneſi tauricae frequentiſſima et primaria arbor, eximiae magnitudinis, juga ſubalpina, praeſertim auſtrale, per provincias Cachet et Cartuel, denſa ſylva obveſtiens; ad pedes montium rarior et in planitiem vix deſcendens, nec in aſpera elatiorum montium extenſa: ad Terec fluvium minor ſemper Fago ſylvatica Europae, ligno magis rubente.

FAGUS Caſtanea.

FAGUS foliis lanceolatis acuminato-ſerratis, ſubtus nudis. *Lin. ſyſt. pl. IV. p. 166. n. 1. Du Roy hort. harbec. I. p. 270. Knyphof. ectyp. cent. V. n. 31. Du Hamel arb. I. p. 136. t. 50.*

Roſſis *Keſchtan* (Кештанъ); Tataris tauricis *Keſtàn.* Nogayce *Tſchabulût.*
Georgianis *Zabli.*

In jugo ſubalpino Caucaſi, vallem Cachetiae ſeptentrionem verſus terminante, circa fluvios Tſchetti et Duritſch, ulteriusque verſus orientem ſpontanea eſt, in vallem ipſam non deſcendit et in jugo promontoriali auſtrali toto deficit, aeque ac in ſubalpinis. — Hortenſis rariſſime in provinciis meridionalibus Roſſiae occurrit, perfert tamen clima. Prope Petropolin in horto imperiali collis Pulkovienſis extat arbor, quae ramis longiſſimis dichotomis late ſupra terram explanatis et veluti depreſſis viget, nunquam vero aſſurgit, dum ſurculi erecti quotannis ab hyemali frigore enecantur, depreſſis tantum ſub cumulata nive ſervatis.

CARPINUS.

CARPINUS Betulus.

CARPINUS ſquamis ſeminiferis planis trifidis. *Lin. ſyſt. pl. IV. p. 168. n. 1. Du Roy hort. harbec. I. p. 124. Du Hamel arb. I. p. 127. tab. 49.*

Roſſis in Ucrania *Grab*, *Grabina*, *Grabylnik*, *Grob* (Грабъ, Грабина, Грабылникъ, Гробъ). Ad Terec fl. *Drabinnik*, *Grabina*, *Batſchika* (Драбинникъ, Бачика). Polonis *Grab.*

Tataris tauricis *Kok.* Ad Caucaſum *Gogomen*, *Kogumon.* Perſis *Aſad.*

Georgice *Kſ-chily.* Tſcherkeſſis *Tſchuïe.*

In ſylvis Novae Roſſiae frequentiſſima et excelſa arbor, occurrit etiam copioſe ad Cumam et Terek fluvios, per omnem Caucaſum et Tauricam. In Caucaſo plerumque Fagum excipit ad promontoria et juga ſubalpina, ſylvas pariter vaſtiſſimas conſtituens et magnitudine cum Fago certans. In apricis ſubmontanis minor et dumoſo habitu abundat. Ad Volgam et Rhymnum in inferiore horum fluviorum regione parce occurrit. Floret initio Aprilis.

FRAXI-

FRAXINUS.

FRAXINUS excelsior.

FRAXINUS foliolis ferratis, floribus apetalis. *Lin. syst. pl. IV. p. 356. n. 1. Du Roy hort. harbec. I. p. 278. Blakwell. icon. t. 328. Du Hamel arb. I. p. 247. n. 1. tab. 101.*

Rossis *Jassen* (Ясень). Fennis *Saarni.*

Tataris tauricis *Kuriutsch-agatsch;* Casan. et Nogaïc. *Gürutsch-agatsch.*

Calmuccis *Erak-modun.*

Georgice *Ipni.*

Per Russiam temperatam et australiorem in sylvis frequens arbor, quae itidem ultra Uralense jugum per Sibiriam deficit. In Caucaso usque in australia promontoria extenditur. In Taurica Chersoneso praeter vulgarem arborem, in altioribus montibus arbustim crescentem, Fraxinum microphyllam observat et pro Orno habet Cel. *Hablizl (Descr. taur. Cherson. russ. p. 96).*

TILIA.

TILIA europaea.

TILIA floribus nectario deſtitutis. *Lin. ſyſt. pl. II. p. 584. n. 1. Flor. dan. tab. 553. Gmelin. flor. ſib. IV. p. 179.*

Roſſis *Lipa* (Липа).
Fennice *Lechmus;* Permice et Sirjaen. *Nin-pu*; Morduanis *Pikſcha;* Tſcheremiſſis *Puſchte;* Votjacis *Birik, Kys-pu;* Oſtiacis *Sentſch-chorta-juch;* Bucharice, arabice et perſice *Uglamur;* Tataris caſan. *Djuga, Sujan;* Baſchkiris et Kirgiſis *Dſchjuka-agatſch;* Chivice *Filaemur;* Nogaice *Joko-agatſch.* Tſchuvaſchis *Sujan.*
Calmuccis *Dſhijulén-zagàn.* Samojedis *Jangaſeb.*
Georgianis *Zazchy, Werchwy.*

In nemoribus totius Roſſiae et Uralenſis jugi e vulgatiſſimis eſt arboribus et arbuſtis, etiam borealioribus locis, ubique frequens et in oeconomia Roſſica utiliſſima. In Sibiria trans-uralenſi ſenſim rarior evadit, ſecundum Tobolem fl. usque ad Irtin deſcendens, nec ultra fere occurrit.

Cortex exterior antiquiorum truncorum *(Lub, Лубъ* ruſſ.*)* a ruſticis ad trahas et vehicula, ad ciſtulas, tecta ſtabulorum et tuguriorum, aliaque innumera, loco aſſerculorum adhibetur; *interior (Lyki, Лыки)* ad calceamenta ruſtica *(Lapty, Лапты* ruſſ.*)* contexenda. *Liber* ligno accubans *(Motſchala, Мочала* ruſſ.*)*, praeſertim juniorem arborum, materiam praebet ſtragulorum textilium *(Rogoſhy, Рогожи* ruſſ.*)* quae non ſolum intra Imperium magno ſunt in uſu, ſed ad exteros quoque copioſe exportantur, licet viliſſima merces.

Lignum praeſertim in domeſtica vaſa et utenſilia elaboratur. *Radix* pulchre venoſa ad topiaria opera utilis, ut et excreſcentiae ſtrumoſae trunci. *Rami* juniores cum fronde faſciculatim ſiccantur et vere agnis pabulo ſerviunt. *Flores* praeſertim in Urali parte a Baſchkiris occupata copioſiſſimarum apium praecipuum praebent pabulum.

Rariorem apud nos obſervavi Tiliae varietatem microphyllam.

MORI.

MORUS tatarica. Tab. LII.

MORUS foliis oblongo-ovatis, obtusis, laevibus, aequaliter serratis. *Lin. syst. pl. IV. p. 135.*

Rossis in Ucrania *Schelkoviza* (Шелковица), ad Volgam tatarico nomine *Tut derevo.*

Bucharice *Iisma;* Nogaïce *Ahadza;* tatarice et persice *Tutt*, quod arabice Morum et colorem nigrum significat.

Calmuccis *Scharà-modon* (lignum flavum), fructus *Usmae.*

Armenis et Georgianis *Tschata*, *Tuta.* Dugoris *Papanesch.*

Arbuscula haecce satis frequens in insulatis et inundatis Achtubae collateralis Volgae fluvii, itemque in cavis convallibus tractus secundum Sarpam rivum, et in depressis ad Cuma, Terec et Cuban fl. — nec constat, an naturaliter spontanea vel a pristina cultura superstes ibi detur. Circa Azovum in hortis primum observavit illam *Gerberus*, in Chersoneso taurica frequens est, et nunc in Rossiae temperatioris hortis semine educata passim occurrit; per Novam Rossiam ad fl. Vorscla et Ortschik circaque Charkof culta abundat et bombyci optimum ubique praebet pabulum. *Baccae* fatuae, partim recentes comeduntur, partim in conservam coctae vel siccatae asservantur. Fit etiam ex iis vinum, et praesertim spiritus inde destillatus admodum sapidus. Floret et foliascit initio Aprilis.

Arbusta plerumque incondite ramosissima, truncis raro brachium aequantibus. *Cortex* gryseo-albidus. *Lignum* durissimum, flavum, subvenosum ad topiaria opera pulcherrimi usus. *Rami* tenues, virgati, teretes, laeves, gryseo-fulvescentes et albedine quadam obducti: *Ramuli* foliiferi, basi fructificantes. *Folia* mediocri amplitudine, longissime petiolata, plerumque ovalia, apice rotundata, rarissime acuta; basi saepius inaequalia integra et subcordata; laevissima caeterum et satis aequaliter, obtusiusque serrata et vulgo integra *(Fig. 1.)*. Datur tamen etiam *varietas* foliis profunde quinquelobis, sinuatis, vel trilobis, vel uno saltem sinu excisis, quam laevitate foliorum a Moro vulgari distinctam esse video *(Fig. 2.)*. *Baccae* minusculae longius pedunculatae maturae rubentes, vel pallidae, minus sapidae.

Icon baccas immaturas et folia utriusque varietatis in distinctis ramis exponit.

MORUS nigra.

MORUS foliis cordato-acuminatis scabris. *Lin. syst. pl. IV. p. 134. n. 2. Du Roy hort. harbec. I. p. 425. Du Hamel. arb. I. p. 24. n. 1. tab. 8.*

Polonis *Morwa.*

In hortis meridionalioris Rossiae, spontanea vel a pristina cultura relicta passim ad Terec et Cuban fl. itemque in Taurica Chersoneso, ubi referente Cel. *Hablizl* truncis pedalis diametri foliisque maximis luxuriat et baccas Julio profert pruni magnitudine, praesertim in hortis

plagae maritimae inter Baluclava et Sudac, circa Bachtſchiſarai, ad rivos Alma, Catſcha, et Cabarta. — Inſignes etiam arbores et fructus vidi in ripa Achtubae ad Nitrariam officinam Dſchigit.

MORUS alba.

MORUS foliis cordatis, lobatis, inaequaliter ſerratis. *Lin. ſyſt. pl. IV. p. 134. n. 1. Du Roy hort. harbec. I. p. 437. n. 4.*

Etiam haec paſſim in hortis novae Roſſiae, ut et ad Terec fl. occurrit, minus frequens M. tatarica, cui admodum adfinis, ſed ſcabritie foliorum et petiolis minus elongatis diſtinguenda. In Cherſoneſo taurica tam in maritimis cum praecedenti, quam a ſeptentrionali latere montium cum Moro tatarica occurrit, baccis albis diſtincta.

CUPRESSUS.

CUPRESSUS ſempervirens. Tab. LIII.

Roſſice *Kypariſnoe derevo* (Кыпарисное дерево).
Turcis *Saelvi.*

Occurrit, quantum ex adlatis ramis conſtat, in maxime auſtralibus Mingreliae, Imiretiae et Cachetiae, ubi tamen haud procera et rariſſime occurrit. Videtur in maritima auſtrali plaga Cherſoneſi tauricae optimo cum ſucceſſu coli poſſe, naturaliter tamen ibi non provenire certum eſt, licet id Cel. *Büſching* ex itineratorum fide perperam aſſeruit, nomine forte turcico Cupreſſi, quod a Tataris tauricis Populo italicae, ob formae quandam ſimilitudinem tributum eſt, in errorem inductorum.

Cupreſſi duplex varietas etiam in hortis perſtat, altera ramis ſtrictis in metam faſtigiata, altera divaricatis patula. Utriusque frondes et fructificationis partes ſimillimae. *Tab. III.* noſtrae *fig. A.* varietatem ſtrictam, *fig. B.* patulam exponit, cum fructu.

Rami teretes, gryſei, rudimentis foliorum ſtrigoſo-denticulati. *Frondes* dichotomae, ſubtetragonae, foliolis alterne oppoſitis, decurrentibus, ſubcarinatis, antiquioribus diſtantibus mucronatis, junioribus confertim imbricatis. — *Fructus* modo laterales, modo terminales ramulorum, globoſi, immaturi, *fig. B. C 1.* obſcure virides, peltis umbilicatis, coalitis, intus *C 2.* pulpoſi albi; maturi *fig. C 3.* peltis discedentibus, lignoſis, effundentes ſemina marginata *C 4. 5.*

Lignum Tab. L. n. 18. duriſſimum, odoratum, obſcure rubens ad quaevis opera utiliſſimum.

JUNIPERI.

JUNIPERUS communis. Tab. LIV.

JUNIPERUS foliis ternis patentibus mucronatis, bacca longioribus.
Lin. ſyſt. pl. IV. p. 278. n. 7. Du Roy hort. harb. I. p. 338. Blakwell. icon. t. 187. Kniphof. eclyp. cent. I. n. 48. Gmelin. Flor. ſib. I. p. 182.

Roſſice *Moſhevelnik* (Можжевельникъ); in Sibiria *Wereſk* (Верескъ).
Polonis *Jalowiec.* Livonice *Paegle*, *Paegles;* Eſthonice *Kadakas*, *Kadajas.*
Fennis *Kataju;* Tſcheremiſſis *Lame-koſch.* Votjacis *Suſu-pu.* Permice *Tuſchjapu.*
Tataris *Arteſch-agatſch;* tauricis *Arditſch;* cubanis *Sany.*
Calmuccis *Jaman-artzà.*
Georgianis *Nadſcha;* Tſchetzengis *Bagàn.*
Tunguſis *Opkonkura.*
Kamtſchatice *Kákain;* Ukintzis *Kálauſchungad.* Kurilis *Paſchkuratſch-kumamai.*

In ſterilibus arenoſis et ſylvoſis collibus totius Imperii Roſſici, per omnem plagam borealiorem et temperatam, frequens; occurrit etiam in montanis auſtralioris tractus, ut in Cherſoneſo taurica circa Sudak, Baluclava, Lambat et portum Sebaſtopolitanum, itemque in promontoriis Caucaſi. Plerumque fruticoſa, paſſim tamen in temperatis vel auſtralioribus, et ad Camam praeſertim, etiam inſignibus truncis exaltata, in Sibiria fere ſemper fruticans.

Vulgarem habitum *Tabulae* noſtrae *IV. fig. B.* et *C.* utriusque ſexus ſcil. *Bb. maſculae* cum amentis, et *Cc. foemineae* bacciferae arboris ramulum exprimit, foliis *d.* rectis pungentibus, tenuioribus, hinc cavis, inde ſubcarinatis; qualis in Europa Juniperus communis provenit. Sed *figura A.* depingit *varietatem* ſaxatilem *dauuricam* cujus accuratiorem deſcriptionem hic dare placet.

Pumila fruticoſa, ramulis tenuioribus flexuoſis, creberrime cicatricoſis. *Folia* confertim poſita, fere imbricata, minora ſubincurvata, valde convexo concava, nervo extus vix carinato. *Ramuli* foliiferi, ſub ſingulo folio nodulo ſeu granulo prominentiſſimo laevigato notati, quod eo magis apparet, quo magis pumilae et confertius foliis imbricatae occurrunt ſtirpes.

Praeter vulgares et ubique notos uſus Juniperi ejusque baccarum et ligni, nulli apud Roſſos obſervantur.

JUNIPERUS dauurica. Tab. LV.

JUNIPERUS foliis oppoſitis acutis imbricato-decurrentibus, paſſim patulis ſubulatis.

Juniperus foliis inferne adnatis, oppoſitionibus concatenatis, baccis monopyrenis. *Gmelin. Flor. ſib. I. p. 183. n. 35.*

Roſſis in Dauurica *Camennoi Vereſk* (Каменной Верескъ), *Arſs* (Арсъ).

Mongolis *Jaman-Artza*, i. e. Sabina caprina ſeu vilior.

Haec ſpecies a Junipero lycia omnino diverſa, in altiſſimis montibus Sayanenſis et transbaïcalenſis jugi paſſim occurrit; *Gmelinus* e Sayanenſi jugo ad Udae fontes lectam accepit; mihi praeſertim e monte excelſo Dauuriae *Sochondoi* innotuit, et in montoſis circa Dutſcherskoi argentariam officinam copioſam obſervavit Cl. *Georgi.*

Fruticoſa plerumque et proſtratis ſupra ſaxa creſcit truncis, principalibus ſaepe brachii craſſitiem aequantibus. *Rami* craſſiuſculi, teſtacei, juniores reliquiis foliorum in ſquamas acuminatas mutatis imbricati, quae demum finduntur et decidunt. *Surculi* virides dichotomi, foliis decuſſatim oppoſitis binis, glauco-virentibus, minus confertis imbricati.

Datur, quoad folia, duplex *varietas*. In *una* folia maximam partem ſquamiformia, decurrentia, mucrone brevi, ſubulato, preſſe imbricata; vix hinc et inde in ramulis occurrunt longiora folia acicularia. Haec ſtirps ſaepius maſcula; vel apicibus ramulorum incurvis triphillis florens feminea, et in *Tabulae* noſtrae *icone B.* depicta.

Altera varietas (*Tab. fig. A.*), vulgo baccifera, fere tota, praeter extimos juniores ſurculos, *foliis* inſtructa (qualia in J. oxycedro) acicularibus, a baſi patentibus, baccas fere longitudine aequantibus, carinato-ſulcatis, compreſſis. *Baccae* globoſae, guſtu Juniperino amariores, maturae nigricantes, polline albo caeruleſcentes, ramulo ſubaphyllo incraſſato quaſi pedunculatae, monopyrenae et dipyrenae; *nucleis* ovato-globoſis, magnis, obtuſa coſta marginatis, vel quadriſulcatis, colore luteſcentibus.

JUNIPERUS lycia. Tab. LVI. fig. 1. AB.

JUNIPERUS foliis binis imbricato-decurrentibus confertis acutis.

J. foliis ternis undique imbricatis ovatis obtusis. *Lin. syst. pl. IV. p. 279. n. 10. Gmelin. Flor. sib. I. p. 182. n. 33.*

Rossis in Sibiria *Gornoi* vel *Camennoi Veresk* (Горной или Каменной Верескъ).

Tataris *Artschyn.* Ostjacis *Sirsa.*

Mongolis *Chonin-artzà* i. e. Sabina ovilla seu mitior.

Tangutis *Bshoggba.*

Georgianis *Gyva.*

Haec arbor, quam difficile a Sabina distinguo, quaeque apud nos nunquam *terna* foliola exhibet, copiosissime crescit in promontoriis rupestribus praeruptis, apricis jugorum Altaïci et Sayanensis, continuo tractu ab Irtis ad Jeniseam fluvium. A Tataris et Mongolis vulgo cum Sabina confunditur nominibus eodemque in honore est, pro suffitu daemonifugo, et in decoctis contra varios morbos adhibita. *Odor* frondium contritorum Sabinae similis, a qua differt crassitie majore surculorum et foliolis acutis minusque confertis. — Vix pro J. lycia habuissem, nisi specimina hujus ab exteris accepta simillima nostrae et nunquam ternis foliis instructa vidissem.

Arbor tota prostrata, truncis ab imo ramosis, brachio saepe crassioribus, serpentinis curvaturis supra rupes decurrentibus, nunquam recta apud nos assurgit. *Trunci* et lignosi rami saepe compressi vel varie deformati, cortice vix ullo, nisi libro fusco, arido fasciato vestiti. *Lignum* extus album, intus magis minusve rubens, odoratissimum odore Cedri americanae aemulo, densum, tenerrimum, sed fragile (*Tab. L. fig. 17.*). *Rami* ramulique extremi virgati, recta protensi, crassiusculi, extus epidermide testacea obducti. *Surculi* obscurius virides, dichotomi, imbricati *foliolis* decussatim oppositis, squamiformibus, acutiae (*fig. A.*). *Apices* surculorum florescentes incurvi, ut in Sabina et affinibus aliis. *Baccae* terminales, globosae, mediocres, maturae nigricantes, sed polline glaucae, tripyrenae et quadripyrenae: *Semina* ovato-oblonga, extus convexa, introrsum angulato-triquetra.

Varietatem ramis surculisque tenuioribus, baccis magnis (*fig. B.*) legi ad Taschtyp et Abacan fl. Sayanensis jugi. Huic baccae admodum resinosae, quinque seminibus foetae; squamae laxiores.

Ex Herbario *Gmelini* sub oculis habeo ramulum, quem e Mana fluvio acceptum pro Sabina habuit (*Flor. sib. I. p. 183. n. 34.*); eum vero a specie hic descripta distinctum obtinere nullo charactere possim. Si nostra species a Sabina vere distincta sit, et a Junipero lycia *Linnaei* differat, ob similitudinem summam frondium cum Cupresso sempervirente, *cupressina* appellari posset.

Celeberr. *Falk* (*itin. p. 267.*) altaïcam et Sayanensim arborem cum Sabina ad Tanaïn crescente pro eadem specie habuit; mihi vero haec satis diversa videtur, nisi a loco et climate forte mutata. Mihi apud Botanicos inter Juniperos Sabinam et Lyciam quoad synonyma et characteres summa videtur regnare incertitudo, ideoque icones addidi.

JUNI-

JUNIPERUS Sabina. Tab. LVI. fig. 2. C. D.

JUNIPERUS foliis binis confertiſſime imbricatis obtuſiuſculis.

J. foliis oppoſitis erectis decurrentibus, oppoſitionibus pyxidatis. *Lin. ſyſt. pl. IV. p. 274 n. 5. Kniphof ectyp. cent. V. n. 46. Du Hamel arb. II. p. 242. tab. 63.*

Roſſis in Sibiria *Artſh* (Арчь), Coſaccis ad Tanaïn *Caſazkaja Moſhucha* (Казацкая можжуха).
Tataris tauricis *Samna;* Kirgiſis *Artſchae, Tſchagar, Arſchan-agatſch.* Calmuccis *Choin-artſchan.*

In collibus cretaceis ad Tanaïn et Medvedizam, praeſertim in ſabuleto *Kremenskie Pesky* dicto, et teſte *Falkio* in medio tractu Rhymni fl. usque verſus Guberlinsk, frequentiſſima arbor. In Cherſoneſo taurica ſatis vulgarem et inſignibus, ſaepe pedalis diametri truncis, obſervavit amiciſſ. *Hablizl* et ſpecimina miſit.

In Taurica erecta creſcit, cupreſſi fere ſpecie; ad Tanaïn vero (ut altaïca J. lycia) ſupra arenoſum ſolum truncis horizontaliter ſtrata, ramisque plurium orgyarum longitudine, ſtrictis, velut radiatim terrae parallela.

Lignum huic truncorum ſaepe brachii craſſitiem excedentium ſimillimum ligno Jun. lyciae, *(Tab. C. fig. 16.)* ſed odore magis cadaveroſo, et frondes quoque foetidiores, ut in Sabina officinarum vulgo ſolent. *Trunci* ſcarioſa epidermide non bene corticati, flexuoſi, teretiuſculi. *Rami* ſubdichotomi, epidermide gryſea obſcura obducti, confertim frondoſi frondibus interdum faſtigiatis. *Frondes* ſquamulis breviſſimis oppoſitis rhombeis, confertiſſime imbricatis, quaſi loricati, ut vix foliola dixeris. — Sic in Tanaïcenſi, quam icon noſtra imitata eſt; ſpecie fere diverſam dicerem, ſi recentem et cultam nunc obſervare liceret.

In Tauricae arboris ſpeciminibus ab amiciſſ. *Hablizl* communicatis: *rami* lignoſi craſſiores, vegetiores, alterne ramuloſi; *frondes* tenuiores, foliolis magis diſtantibus, acutis et prominulis imbricatae, ut Sabinae hortenſi, er tamariſci frondibus ſimillimae, niſi quod foliola oppoſita.

Apices floriferi praeſertim e dichotomia ultimorum ramorum, inflexo-nutantes flore terminali flaveſcente. *Squamae* quatuor craſſae obtuſae, inter quas germina verruciformia, conferta tria majora et unicum minus, muticum.

Baccae huic ſubgloboſae, tripyrenae, cicatricibus germinum et ſquamarum floris oblitteratis extus quaſi reticulatae, glauco polline obductae.

JUNIPERUS Phoenicea. Tab.LVII.

JUNIPERUS foliis ternis decurrentibus mucronatis.

J. foliis ternis oblitteratis imbricatis obtuſis *Lin. ſyſtem. pl. IV. p. 279. n. 9.*

Sabina folio tamariſci *Du Hamel arb. II. p. 242. tab. 62.*

Hujus arboris ſpecimina maſcula e Caucaſo habeo; nullam vero ejus mentionem inter adnotationes Güldenſtaedtianas inveni. Itaque locum et creſcentis ſtaturam ignoro.

Rami ramulique et frondes craſſi, dichotomi, etiam lignoſi reliquiis ſquamarum ſubulatarum imbricati; antiquiores cortice teſtaceo obſcuro obducti. *Frondes* imbricatae *foliolis ternis* decurrentibus, longius et acutiſſime mucronatis, concatenationibus remotiuſculis. *Apices* floriferi inferiorum in ramulis frondium creberrimi, vix nutantes; flos terminalis, ſquamulis 2 majoribus, totidemque minoribus externis ſtipatus.

TAXUS.

TAXUS baccata.

TAXUS foliis adproximatis. *Lin. ſyſt. pl. IV. p. 279. n. 1. Du Roy hort. harb. II. p. 451. Du Hamel arb. II. p. 302. t. 86. Blakwell. ic. tab. 572.*

Roſſice *Tis* (Тись) ad Terec fl. *Negnoi*, *Negnjuſchka*, *Negnjutſhei derewo* (Негной, Негнîошка, Негнîочей дерево) i. e. lignum incorruptibile; item *Krasnoe derevo* (Красное дерево) i. e. lignum rubrum. Polonis *Cis.*

Tataris Caucaſi *Kiſil-agatſch*, i. e. lignum rubrum, item *Telinarat.* Georgianis *Urtchli*; Tſcherkeſſis *Wamut*, *Chamys*; Tſchetſchengis *Baſà.*

Frequens arbor inter Fageta in alpinis Caucaſi, praeſertim apud Inguſchos ad fl. Cumbelei; datur etiam ad Cuma fl. et in Cherſoneſo taurica, circa montium mediorum cacumina, non admodum copioſa.

Lignum (Tab. L. fig. 12.) durum, tenerrimum, brunneo-rubens, ad ſcriniaria opera praeſtantiſſimum. Pro palis vinearum adhibitum diu durat ſine corruptela. Arbor in Roſſia etiam borealiore coli poſſet, ſed ſpontanea ne quidem in temperatis occurrit.

BUXUS.

BUXUS ſempervirens.

BUXUS folils ovatis. *Lin. ſyſt. pl. IV. p. 128. ſp. 1. Du Roy hort. harb. I. p. 118. Du Ham. arb. I. p. 115. t. 46.*

Roſſis mutuato a Tataris nomine *Sámſchit* (Самшишь).

Perſis *Schimſchat*; Tataris *Samſchit.*

Georgianis *Bſa.* Calmuccis *Boſchtom.*

Provenit ſatis frequens in auſtrali declivitate Caucaſi, inter fluvios Joer et Alaſan in Cachetiae diſtrictu Kiſichi, ibi, ut in Perſia, in arborem biorgyalem, femoris humani ſaepe craſſitie excreſcens, cujus lignum, tanquam merces, Kislario ad portus maris nigri exportatur. Floret ultimis diebus Februarii, cum Avellana et Corno. *Maſculi* flores in glomerulis copioſiores, *feminei* bini vel terni. Camelis lethalia eſſe virgulta *Gmelin. itin. III. p. 108.* contra Hyſtrices amant ſabuleta Buxo obſita.

ILEX.

ILEX Aquifolium.

ILEX foliis ovatis ſpinoſis. *Lin. ſyſt. plant. I. p. 354. ſp. 1. Du Roy hort. harb. I. p. 317. Flor. dan. t. 508. Blakwell. icon. t. 305.*

Slavonice *Shold* (Жолдь); Roſſice *Waeſoſheld* (Вязожелдь), *Oſtrokrof* (Остpокровь), *Padub* (Падубь).

Imeretice *Badsgi*; Georgianis *Tſchori.*

Intra Roſſiae antiquos limites vix occurrit; ſed eſt frequens in jugo auſtraliore Caucaſi, per Fageta umbroſa, ſupra Ateni et Saureti in Cartuelia, et in diſtrictibus Sadſchavacho, Salordkipaniſo et Ocriba Imeretiae. Plerumque humilis, diffuſa, altitudine decempedali, in truncum brachii craſſitie excreſcit.

LAURUS.

LAURUS nobilis.

LAURUS foliis lanceolatis margine undulatis perennantibus, floribus quadrifidis dioïcis. *Lin. ſyſt. pl. II. p. 226. n. 6. Blakwell. icon. t. 175. Du Hamel arb. I. p. 349. tab. 134.*

Roſſice *Lavrovoe derevo* (Лавровое дерево).

Tataris tauricae *Daſnae.*

Imeretinis *Dapi.*

Copioſe provenit ſpontanea circum hortos vicorum Alupka et Mutſchor, maritimae plagae Cherſoneſi tauricae; creſcit etiam in Imeretiae ſubalpinis et utrobique, rupeſtri licet in ſolo, ſatis inſignes frutices efficit et baccas profert.

In Imeretia decoctum foliorum contra ſcabiem pro domeſtico eſt remedio. Roſſi baccarum *(Bobki)* decoctum in obſtructione menſtruorum adhibent et oleum vocant *Bobkovoe maslo.*

OLEA.

OLEA.

OLEA europaea.

OLEA foliis lanceolatis. *Lin. ſyſt. plant. I. p. 19. n. 1. Blakwell. t. 199. Hablizl. deſcr. taur. Cherſon. ruſſ. p. 77.*

Roſſis *Olivkovoe derevo* (Оливковое дерево). Tataris tauricis *Seïtun.* Georgianis *Petiſe-chillis-che.*

Haec Europae auſtralis et Aſiae indigena arbor, in montibus provinciarum Gilan et Maſanderan frequentiſſima, obſervante Amiciſſ. *Hablizl* vulgaris etiam eſt in ora meridionali maritima tauricae Cherſoneſi inter rupes ſpontanea, pariter et hortenſis, praeſertim inter Baluclava et Lambat. Neglecta tamen ubique a Tataris, exiguos profert *fructus*, qui a paucis colliguntur muria condiendi. Spontanea arbuſcula *folia* multo minora et anguſtiora profert, quam culta in Europae hortis. *Trunci* hinc inde pedalem diametrum ſuperant. *Stolones* e radice frequentes.

CELTIS.

CELTIS auſtralis.

CELTIS foliis ovato-lanceolatis. *Lin. ſyſt. pl. IV. p. 334. ſp. 1. Du Roy hort. harb. I. p. 141. Hablizl. deſcr. taur. Cherſ. ruſſ. p. 79.*

Roſſis Aſtrachaniae *Sheleſnoe derevo* (Железное дерево) i. e. lignum ferreum, a perſica appellatione *Temur-agatſch*, quae idem ſignificat.

Tartaris tauricis *Karkas.*

Copioſa et Ulmi ſaepe magnitudine valdeque ramoſa provenit haec arbor in Cherſoneſi tauricae non ſolum hortis, praeſertim inter Baluclava et Jalta, ſed etiam in ſaxoſis montibus et praeruptis orae maritimae paſſim, imprimis circa Sudac In meridionalibus Caucaſi raro occurrit; ſed frequens eſt in Perſiae provinciis mari caſpio vicinis.

Ramuli tenues, obſcure teſtacei, alterne folioſi. *Folia* longius petiolata, oblique ovato-acuta, ad petiolum inaequaliter lata, ſubtrinervia, irregulariter ſerrata, aliqua magis lanceolata.

Flores minuti. — *Fructus* longius pedunculati, minus ſapidi, ſubdulces, magnitudine fere Ceraſi, primum flavi, dein liveſcentes, *nucleo* ſolitario. Matureſcunt Octobri.

DIOSPYROS.

DIOSPYROS Lotus. Tab.LVIII.

DIOSPYROS foliorum paginis discoloribus. *Lin. ſyſt. pl. IV. p. 357. ſp. 1. Du Roy hort. harb. I. p. 215. Mill. dict. tab. 116.*

Roſſis Aſtrachaniae *Dikoi Phenik* (Дикой фенiкъ) i. e. Pſeudo-dactyli.

Perſis *Kurma;* Tartaris Tauridis *Churma* vel *Karà-Churma* i. e. Dactyli nigri.

Varietas latifolia in maximas arbores excreſcit in meridionalibus Caucaſi, praeſertim Cartvel, Imeretia et Mingrelia; neque deeſt in hortis orae meridionalis Tauridis, praeſertim inter Baluclava et Aluſchta. Vix tamen in his regionibus ſpontanea, ſed translatitia. Copioſiſſima et inquilina in Hyrcaniae et totius Caſpicae orae nemoribus.

Ramuli patentiusculi, luteſcentes. *Folia* ovali-lanceolata, magna, integerrima, ſubtus pallidiora, ſubincana, venis ſubpiloſis. *Flores* parvi, albido-rufeſcentes, quadrifidi, rotati. *Fructus* magnitudine Ceraſi, maturitate flavus, ex adſtringenti dulcis, ſeſſilis ad foliorum alas intra *Calycem* auctum, ſubcartilagineum, explanatum, plerumque quinquefidum, rarius quadrifidum *Tab.LIX. Fig. infer.*

Baccae edules contra diarrhoeas laudantur.

PISTACIA.

PISTACIA Terebinthus.

PISTACIA foliis impari-pinnatis: foliolis lanceolatis. *Lin. ſyſt. plant. IV. p. 246. ſp. 4. Blakwell. icon. t. 478. Du Hamel arb. II. p. 305. tab. 87. Hablizl. deſcr. taur. Cherſon. ruſſ. p. 83.*

Roſſice *Skipidarnoe derevo* (Скипидарное дерево) i. e. Arbor Terebinthinae.

Tataris tauricis *Tarak.*

In Cherſoneſo taurica non ſolum hortenſem obſervavit circa Sudac, Uskut, circa fl. Alma, Kabarta, et aliis locis orae meridionalis maritimae, ſed etiam ſpontaneam paſſim in montibus maritimis, praeſertim circa Baluclava et Sevaſtopolitanum ſ. Achtiarenſem portum.

Arbores ibi magnitudine Pruni domeſticae, *truncis* diametrum pedalem excedentibus; ſupra ramoſiſſimae, *cortice* cinereo, *ligno* albo admodum reſinoſo. *Rami* fructiferi craſſiuſculi, nodoſi; foliaſcentes lenti, laevigati, *foliis* alternis, impari-pinnatis; *foliola* in rhachi ſeſſilia, ovato-acuta, majuſcula, glabra, gallis crebris obſeſſa, quatuor rariusque trium parium; impari plerumque paulo majore. *Racemi* fructificantes compoſiti, ſeu alterne ramoſi, *nucibus* pedunculatis ſubgloboſis, ſtriatis, mole piſi majoris, quarum corium extus coeruleſcens, guſtu acidum.

Floret initio Maji, ante folia, ſub finem Julii therebentina maxime abundat, qua etiam gallae foliorum tunc ſcatent; ſed Tatari non curant.

CORYLUS.

CORYLUS Avellana.

CORYLUS ſtipulis ovatis obtuſis. *Lin. ſyſtem. plantar. IV. p. 169. ſp. 1. Du Roy hort. harb. I. p. 173. Blakwell. icon. t. 293. Du Hamel. arb. I. p. 187. t. 77. Gmelin. Flor. ſib. I. p. 150.*

Roſſice *Oreſchnik* (Орѣшникъ); ad Dynaprin *Liſtſchina* (Лищина), fructus *Orech* (Орѣхъ); hortenſis magna *Woloſhſkoe Orech* (Воложское Орѣхъ).

Livonis *Reekſts* vel *Lagsda;* Fennis *Taechkina-pu;* Eſthonis *Sarra-* vel *Paehkla-pu;* Votjacis *Naguſſem.* Tſchuvaſchis *Sanga.* Samojedis *Tydy.*

Tataris caſanenſibus *Tſchettang;* tauricis *Funduk;* Nogaïcis *Tſchertlauk;* Baſchkiris *Tſcheklauk.*

Armenis *Funduch.* Georgianis *Tſchilli.*

Tſcherkeſſis *Pſcheducha.* Tſchetſchengis *Baar.* Dugoris *Bali.* Calmuccis *Schitligin-modun.*

Corylus communis ſylveſtris per omnem Roſſiam temperatiorem in nemoroſis abundat, et ad Uralenſe jugum uſque extenditur, a cujus latere orientali deficit, perque omnem Sibiriam abeſt, donec ad Argunum fl. Dauuriae denuo appareat. Haec dauurica Corylus fructibus perexiguis, globoſo-retuſis et foliis minoribus diſtinguitur, ſpecie tamen haud videtur differre.

In Cherſoneſo taurica *Varietas* triplex; maximae oblongae, et ovatae, minoresque ſubgloboſae et aliae vulgaribus ſimiles. Hae incertum varietates annon aliis quoque characteribus differant. In Caucaſo frequens Corylus, licet in auſtralibus deſertis Roſſiae deficiat ad Tanaïn et Volgam.

RHAMNI.

RHAMNUS Frangula.

RHAMNUS inermis, floribus hermaphroditis, foliis integerrimis glabris.
Lin. ſyſt. pl. I. p. 543. ſp. 14. Du Roy hort. harb. II. p. 285. Du Hamel. arb. I. p. 245. t. 100. Flor. dan. t. 278. Blakwell. icon. t. 272. Gmelin. Fl. ſib. III. p. 107.

Roſſice *Cruſchina* (Крушина), *Sabatſchie Jagody* (Сабачье ягоды) ſ. baccae caninae; Ucranis *Bodlak* (Бодлакъ)?
Fennonis *Pajatin*, *Pozau*; Eſthonis *Tomicas*. Livonis *Eewa*, *Leewe*. Votjacis *Set-lampu*. Tſcheremiſſis *Pibompu* vel *Puun-lum*.
Tartaris *Tſchumurt*. Kirgiſis *Et-Tſchumurt* (baccae caninae). Mongolis *Faſchil*.
Imeretinis *Tipſela*.

In frutetis et nemoribus paludoſis totius Roſſiae etiam borealioris, perque omnem Sibiriam et in Caucaſo etiam auſtraliore, ut et Taurica Cherſoneſo vulgatiſſimus eſt frutex. In Caucaſo majoribus foliis propius ad Rh. alpinam accedit. *Baccas*, nemini edules, ſub finem Julii maturas et corticem etiam Roſſorum plebs in uſus tinctorios adhibere novit. Baccarum ope lanas flavovireſcente colore imbuunt mulierculae; cortex luteum et fuſcum largitur.

RHAMNUS alpinus.

RHAMNUS inermis, floribus dioïcis, foliis crenulatis pubeſcentibus.
Lin. ſyſt. pl. I. p. 542. ſp. 12. Hall. act. goett. II. t. 16.

Truchmenice *Karamà*.

In dumetis ſubalpinis Caucaſi, ad fl. Uruch et alibi paſſim occurrit; verum in Roſſiae et Sibiriae montanis non datur.

Folia magna ſaepe ſubdodrantalia, ovato-oblonga, non abrupte acuminata ut Frangulae, margine ſubtiliter crenulata, ſubtus lanugine pubeſcentia, caeterum venis parallelis itidem oblique coſtata, etiam crebrioribus. *Baccae* ad ramulos infra folia crebrae, confertae, pedunculatae, rudimento calycis ſuffultae, nigrae, triſpermae, uti Frangulae, ſed minores. Matureſcunt Julio et Auguſto.

RHAMNUS Zizyphus. Tab. LIX.

RHAMNUS ſubinermis, foliis ovatis obtuſis crenatis trinerviis glabris.
Lin ſyſt. pl. I. p. 546. ſp. 23. Du Hamel. arb. II. p. 378. t. III.

Georgianis *Unabi.*

In Cartuel et auſtralibus Georgiae, ut et in ora Caſpii maris Perſica non infrequens eſt frutex, qui omnino Zizyphus eſſe videtur, utut a definitione Linnaeana alienus. Etenim ſpecimina mihi adlata in junioribus ramis omnino inermia ſunt et ſequenti modo ſe habent.

Rami lignoſi, craſſitie calami, teſtacei. *Ramuli* annui plures (2-3) ex eadem gemma, ſpithamales, filiformes, ſubpubeſcentes, alterne foliati. *Folia* breviter pedunculata, ovato-lanceolata, obſolete ſerrulata, obtuſa, trinervia, baſi ſaepe inaequalia, ſubtus vix evidenter pubeſcentia. *Stipulae* ſetaceae exiles. *Flores* hermaphroditi ex omnibus alis tres quatuorve, raro plures, in modum corymbi ſubpedunculati congeſti, parvi, quinquefidi, vireſcente-flavi, fere ut Paliuro. *Baccae* fere Corni ſanguineae drupam aequant, in alis foliorum ſolitariae, pedunculatae.

RHAMNUS carpinifolius. Tab. LX.

RHAMNUS inermis, foliis ovatis crenatis venoſo-reticulatis glabris, fructu ſeſſili.

Imeretinis *Selkwa.*

Arbor ut videtur nova, incertique generis, cujus tantum fructiferos ramos accepi. Dicitur in Imeretiae montanis frequens eſſe et praeſertim abundat ad pedes jugi calcarei circa Kutais et in diſtrictibus Satſchino et Seriſto.

Statura Ulmi vel Carpini, immo huic forte congener. *Radices* horizontales, diffuſae; *truncus* rectus, ramoſiſſimus, dumoſe creſcens, *ramis* undique, tanquam e centro, ad viginti ſaepe paſſus et in inſignem altitudinem protenſis. Craſſities trunci proceri ſaepe biorgyali circumferentia; *lignum* album, fragile; *cortex* brunneus, integer, epidermide gryſeo-albida obductus. *Rami* ramulique tenues, patuli, alterne folioſi. *Folia* rigidiuſcula, breviſſime petiolata, minuſcula, patentia, ovato acuta, crenarum interſtitiis rotundatis, ſupra obſcure viridia, ſubtus reticulata pallidiora, in dumoſis ſcabra, glaberrima in elatioribus. *Fructus* in ramulorum apicibus axillares, ſeſſiles, ſolitarii, nudi, ſicci, biloculares, globoſo-acuti, hinc gibboſiores. Maturos neque *Guldenſtaedtius* vidit, cujus deſcriptionem cum ſpeciminibus mihi e Caucaſo miſſis collatam ſiſto. Inflorescentia itidem ignota; mihi vix ad Rhamnos referenda videtur arbor, quam *Rhamnum ulmoidem* appellavit Idem.

RHAMNUS catharcticus. Tab. LXI. A. B.

RHAMNUS ſpinis terminalibus, floribus quadrifidis, foliis ovatis ſerrulatis, (ſubnervoſis). *Lin. ſyſt. plant. I. p. 539. ſp. 1. Du Roy hort. harb. II. p. 282. Du Hamel arb. II. p. 216. tab. 50. Blakwell. icon. t. 135.*

Roſſice *Pridoroſhnaja Igolka* (**Придорожная Иголка**) i. e. Acus vel Spina viatica; Maloroſſis *Sheſt*, *Sheſtèr* (**Жесть, Жестерь**) forte a duritie ligni; Coſaccis *Birjutſchina* (**Бирючина**) i. e. Bacca lupi.

Eſthnice *Tyrna-* vel *Kitſe-pu;* Votjacis *Puun-liempu.*

Tataris *Tſchumurt.* Calmuccis *Jaſchil.*

Arbor dumoſa, trunco ſaepe brachii craſſitiem excedente, in campeſtribus et temperatis Roſſiae et Sibiriae auſtralioris frequens, *ligno* duriſſimo, rubicundo utilis, ultra Irtin vix obſervata *Baccae* immaturae ad flavo tingenda coria et ſupellectilem ligneam adhibentur, Maloroſſis vulgo *Farba* (*Фарба*), Valachis *Buja.* Corio humenti adhuc contuſae inſperguntur et interuntur.

Folia in vulgari ſubrotundo-ovata, minora, ſubnervoſa. *Flores* noſtrati plerumque hermaphroditi, axillares, conferti; hortenſibus pauciores et ſubſolitarii, vireſcente-flavi.

RHAMNUS dauuricus. Tab. LXI.

RHAMNUS inermis, floribus quadrifidis dioïcis? foliis oblongo-ovatis ſerratis venoſis. *Pallas. itin. III. app. p. 721. n. 77.*

Cornus foliis citri anguſtioribus. *Amman. ſtirp. ruth. p. 200. n. 278. t. 33. Gmelin. Fl. ſib. III. p. 106. n. 83.*

Roſſis in Dauuria *Sandal* (**сандаль**) ob ligni rubedinem.

Ad Argunum Dauuriae fluvium ubique provenit; in reliqua Sibiria deeſt, uti et Rh. catharcticus. Arbuſcula Rh. catharctico procerior, dumoſa, ramis craſſioribus, minus patulis, nunquam ſpineſcentibus. *Lignum* ſaepe craſſitie brachii, pallide rubrum, laetiore colore quam praecedentis. *Rami* recti, epidermide teſtaceo-caneſcente obducti, laeves, nunquam ſpineſcentes, ramulis ſuboppoſitis, apice foliоſis. *Folia* majora, magis oblongata, ſubacuminata, argutius ſerrata, aliterque venoſa, quam in Rh. catharctico, ſemper glabra, longius petiolata. *Flores* maſculos non vidi. *Foeminei* in diſtincta planta quadrifidi, flavo-vireſcentes, haud majores quam Rh. catharctico, foliolis acutis, deciduis; *Stigma* didymum. *Baccae* inter folia in pedunculis petiolos aequantibus, magnitudine piſi majoris, ſubdidymae et plerumque diſpermae, tertii ſeminis rudimento abortivo.

Fructum perperam rubrum et flores albos habet deſcriptio *Gmelini* apud *Ammannum.* In *Flora ſibirica* male pro Rhamni catharctici varietate ponitur a quo, equidem ſimillima, attamen pluribus ſtructurae momentis differt, tantundem fere, quantum Rh. ſaxatilis, cui foliorum nervatura et circumſcriptione fere ſimilior eſt.

RHAMNUS Erythroxylum. Tab. LXII.

RHAMNUS ſpinis terminalibus, foliis lineari-lanceolatis, denticulatis.
Pallas. itin. III. app. p. 722. n. 78. tab. I. fig. 1.

Roſſis ad Selengam *Krasnoe derevzo* (Красное деревцо).
Mongolis *Faſchihl.*

Inter rupes apricas granitoſas et in glareoſis ad Selengam et collaterales Mongoliae fluvios, ut et in pinetis minus confertis paſſim occurrit, calidiores ſitus amans; in frigidioribus et humidis nunquam viſa. Lignum propter duritiem et colorem, praeſertim a Mongolis ad uſus idololatricos requiritur. Baccae aqua maceratae tincturam praebent intenſe luteam.

Forſitan Rh. lycioidis fuerit varietas climate et loco mutata; habitu tamen valde differt, et per intermedium Sibiriae tractum neutra ſpecies occurrit.

Frutex vulgo humanae altitudinis, erectus, tortuoſus, ramis paucis, abruptis, inordinatis, patentibus rigens; modo ramis brevibus muticis inermis, modo ramoſior, ſpinis terminalibus ramorum et ramulorum. *Truncus* inter rupes ſaepe tortuoſus; cortice tenui, fuſco, ſtrigoſo incruſtatus. *Lignum* duriſſimum, rigidum, fulveſcente rubrum, ſaepe intenſioris coloris (*Tab. C. fig. 8.*). *Rami* recti, rigidi, alterni, cortice cineraſcente-fuſco veſtiti, interdum dichotomi, etiam e dichotomia ſpinoſi. *Ramuli* foliiferi inermes breviſſimi, cicatricibus foliorum ſcabri, apice foliati. *Folia* longiſſima, lanceolato-linearia, in ſpeciem petioli adtenuata, glabriuſcula, ſubtiliter ſerrata, ſerraturis diſtantibus, in ramoſiore frutice (cui exiliora folia) vix conſpicuis. *Pedunculi* floriferi inter folia faſciculatim crebri. *Flores maſculi* in diſtincto et in foemineo pariter frutice, parvi, quadrifidi, laciniis acutis flaveſcentibus. *Foeminei* nunquam in maſculo frutice, ſimiles, vireſcentes, germine ſupero, *ſtylis* tribus calyce longioribus, filiformibus, ſtigmate ſubcapitatis. *Bacca* (*fig. 4.*) mole piſi, globoſo-triconvexa, acute umbilicata; *ſemina* tria magna, ovato-oblonga, triquetro-convexa.

Tabulae noſtrae icon altera florentem ramum fruticis maſculae, altera foemineum ſiſtit cum fructu.

RHAMNUS lycioides. Tab. LXIII.

RHAMNUS ſpinis terminalibus, foliis linearibus. *Lin. ſyſt. plant. I. p. 540. ſp. 3.*

Roſſis ad Terec fl. *Diraſutſchka* (Дирасучка).
Tataris Caucaſi *Karganik.* Calmuccis *Charamok.*

In campis elatioribus et dumetis apricis ſuperioris regionis fluvii Terec, praeſertim circa Mosdoc, deinde, obſervante Cel. *Güldenſtädt*, in promontoriis auſtralibus Caucaſi per Cachetiam, et in jugis ſubalpinis ad Aragi et Kſani fluvios circa Ananur et Achalgory, frequens creſcit.

Arbuſcula dumoſa, ramoſiſſima, ſubvirgata, vix unquam orgyalis, cortice fuſco laevi, in ramis teſtaceo-luteſcente, nitido. *Rami* ſtrictiores, tenuiores, longiores, crebrioresque quam in praecedenti, apice ſpineſcentes, faſciculis foliorum crebris veſtiti. *Folia* in annotinis ramulis faſciculata, in hornis alterna, ſeſſilia, lanceolato-linearia, praeſertim inferius adtenuata, vix evidenter ſerrulata, obtuſiuscula, margine et ſubtus ſubtiliſſimis pilis ſubaſpera. *Flores* inter folia

folia faſciculata plures, pedunculati. *Calyx* quadrifidus, parvus, luteus, laciniis acutis reflexis. *Nectaria* ſeu ſquamulae petaloïdeae e diviſuris calycis erectae minimae, vix oculo nudo conſpicuae. *Stamina* ad ſingulam ſquamam prodeuntia laciniis calycinis dimidio breviora, erecta. *Stigma* plerumqua bifidum, rarius trifidum, ſtaminibus longius. *Flores* ſemper hermaphroditi, nonnunquam quinquefidi et pentandri. *Odor* florum ut in Pruno Pado. *Bacca* oblonga, parva, nigra, diſperma. Floret Majo.

RHAMNUS Paliurus. Tab. LXIV.

RHAMNUS aculeis geminatis, altero reflexo (foliis ovatis trinerviis) floribus trigynis. *Lin. ſyſt. pl. I. p. 544. ſp. 17. Du Roy hort. harbec. II. p. 288. Du Hamel. arb. II. p. 59. t. 18. Hablizl. deſcr. taur. p. 100.*

Roſſis ad Caucaſum *Derſhi derevo* (Держи дерево) i. e. arbor retinens.

Tataris tauricis *Tæken-agatſch;* ad Caucaſum *Karà-Tegenek.*

Georgianis *Sedſi.* Dugoris *Buragadda.*

In jugis ſubalpinis trans-terekienſibus, praeſertim circa thermas, inque Caucaſi promontoriis, imprimis auſtralioribus, per Georgianas provincias, et in montibus ſylvoſis Cherſoneſi tauricae ubique frequentiſſima occurrit, varia ſtatura, ſylvas quibusdam locis fere impervias reddens. Tatari Tauridis ſummis ſepibus ſuis ramos inplexunt. In ſylvis Perſiae itidem copioſa eſt, ubi ſemina cum floribus quibusdam in magma redacta, curandis oculorum morbis inſervire dicuntur.

Arbor dumoſa, ſtatura Pruni ſpinoſae, ab imo ramoſiſſima. *Rami* teretes, patentes, lenti, fuſci, alterne ſubdiviſi, aculeis ad omnes diviſuras et gemmas ſolitariis vel geminis, paſſim recurvatis, acutiſſimis. *Folia* alterna, pedunculata, rotundato-ovata, baſi inaequalia, trinervia, obſoletiſſime ſerrulata, vel integra, glabra. *Racemi* ad latera petiolorum axillares, breves, corymboſi, divaricati, floribus 8 ad 30. compoſiti, quorum unus alterve foecundus. *Calyx* monophyllus, planus, quinquefidus, laciniis lanceolatis, flavis. *Corona* nectarifera inter calycem et germen ſubſinuata, et corpuſcula 5 petaloidea inter ſtamina et lacinias calycis. *Stamina* 5 reflexa, antheris oblongis. *Germen* depreſſum, *ſtylis* tribus breviſſimis, *ſtigmatibus* reflexis. *Pericarpium* e corona germinis aucta naſcitur discoïdeum, peltatum, maturitate corticoſum, continens ſemen unicum oſſeum, orbiculare, ſuperne planum, ſubtus conicum.

Icon noſtra ramum arboris florentem, ad *a.* et *b.* florem naturali et aucta magnitudine, ad *A.* ramulum cum fructibus immaturis et ad *B.* maturos fructus exprimit.

SAMBUCI.

SAMBUCUS Ebulus.

SAMBUCUS cymis tripartitis, ſtipulis foliaceis, caudice herbaceo. *Lin. ſyſt. plant. I. p. 736. n. 1. Du Roy hort. harb. II. p. 415. Blakwell. icon. tab. 488.*

Roſſice *Wæſovnik*, *Wæſovina* (Вязовникъ, Вязовина); Maloroſſis *Buſnik* (Бусникъ); Terekienſibus *Tſchernabyl.* Dacis *Olwa.* Tataris *Chuldy.* Georgice *Anſeli.*

In Nova Roſſia paſſim ad rivos, frequentius autem ad Terec fluvium, et inde copioſiſſime circa rivos Cabardiniae, et paſſim per Caucaſum uſque Georgiam, ſaepe per prata uda ſubalpina verſus juga adſcendens et ruderata vicorum occupans. *Gerberus* ad Lubna obſervavit. Floret Julio, odore florum Sorbi ſubaemulo; foliis foetida. In frigidioribus Roſſiae et omni Sibiria exulat, culta tamen etiam Petropolitanas hyemes perfert, quotannis e radice ſuccreſcens. Ad uſus domeſticos a noſtratibus parum adhibetur. *Foliola* oblongo-lanceolata, tenuiter ſerrata, quinque et ultra parium, cum impare.

SAMBUCUS nigra.

SAMBUCUS cymis quinquepartitis, caule arboreo. *Lin. ſyſt. pl. I. p. 737. ſp. 3. Du Roy hort. harb. II. p. 410. Du Hamel arb. II. p. 253. tab. 65. Flor. dan. t. 545.*

Roſſis *Buſina*, *Bos-derewo* (Бузина, Бозь дерево). Maloroſſis *Puſtoryl* (Пусторыль); ad Terec *Baſowník* (Базовникь). Polonis *Bez.*

Georgianis *Ditgula.* Dugoris et Tſchercelſis *Tergem.*

In temperatiore et auſtrali parte Roſſiae, hortenſis et circa vicos fere ſpontanea; ſylveſtris copioſe provenit in dumetis ad Dynaprin, Tanaïn et Terec fluvios, paſſim dein in Caucaſo, etiam auſtraliore, et in ſylveſtribus Cherſoneſi tauricae ubique; Sibiriae contra deeſt. *Floret* Majo. *Foliola* pauciorum parium, lato-ovata, acuminata, profunde ſerrata. *Stipulae* nullae. *Cymae* ſpecioſiores, confertiſſimae, amygdalino odore. — *Baccas* Terekienſes ad tingendas lanas et ſericum adhibent. *Lignum* truncorum molle, pallido-album.

SAMBUCUS racemoſa.

SAMBUCUS racemis compoſitis ovatis caudice arboreo. *Lin. ſyſt. plant. I. p. 338. ſp. 4. Du Roy hort. harb. II. p. 417. Du Hamel. arb. II. p. 254. tab. 66. Gmelin. Fl. ſib. III. p. 147.*

Roſſis *Piſtſchalnik* (Пищальникъ) i. e. arbor ſclopetaria; in Sibiria *Butſchkan* (Бучканъ), itemque *Dikaja Kalina* (Дикая калина) ſ. fera Opulus.

Permecis *Tſchewoſchnik*. Votjacis *Syeri-vu*. Oſtiacis *Pmeſan-Soje*, i. e. oſſa vetularum.

Tataris *Uſul-agatſch*. Tunguſis *Bolokomkor*.

In Sibiriae planae et ſubalpinae ſylvis frequens arbuſcula, ab Uralenſi jugo incipiens et in Altaïcis montibus praecipue vulgaris. Etiam in Roſſia paſſim datur. *Stellerus* vero in Camtſchatcam usque obſervavit, immo in oppoſito littore Americae.

Dumoſe creſcit, truncis e radice pluribus, brachii ſaepe craſſitie, ramoſiſſima, aliquot orgyarum altitudine. *Lignum* durum, albidius quam S. nigrae; *cortex* cinereus, ſpongioſus, craſſiuſculus. *Rami* fiſtuloſi, medulla farcti. *Folia* in ramulis herbaceis piloſis oppoſita, exſtipulata, impari pinnata, foliolis duorum parium, ovato-acuminatis, ſerratis, ad nervos, ut et rhaches, piloſis. *Racemi* terminales ſeu potius *cyma* ovata vel globoſa, pendula, conferta, compoſito-ramoſiſſima, floribus parvis albis. Hortenſis rami, folia et pedunculi glabreſcunt. Floret Majo, baccas perficit verſus Octobrem. *Baccae* rubrae, majuſculae, maturae magis brunneae, nauſeoſae, attamen paſſim eſitantur a plebe. Succus earum expreſſus pro ſudorifico domeſtico.

VIBURNA.

VIBURNUM Lantana.

VIBURNUM foliis ovato-cordatis, ſerratis, ſubtus tomentoſis. *Lin ſyſt. pl. I. p. 733. ſp. 5. Du Roy hort. harb. II. p. 481. Du Hamel arb. II. p. 350. t. 103. Jacquin Flor. auſtr. t. 341.*

Roſſis *Gordina*, *Gordowina* vel *Gordowid* (**Гордина, Гордовина, Гордовидъ**).

Tataris *Karabalam*, vel *Tergem*. Dugoris *Fadagda*.

Armenis *Kiala-masli*. Calmuccis *Netil* vel *Nojan-bura*.

In Cherſoneſo taurica praeſertim circa Bachtſchiſarai et ad rivum Indal, dein paſſim in Nova Roſſia, praeſertim vero in dumetis ſubalpinis Caucaſi ad Sundſcham fl. copioſiſſima, et alibi per Caucaſum ſpontanea. *Trunci* ex eadem radice plurimi, orgyalibus minores et digito raro craſſiores, ſed rectiſſimi, admodum flexiles, medulla cavi, extus cortice gryſeo, fiſſili obducti; e quibus manubria ſcuticarum et praecipue tubuli pro tabaci fumo hauriendo, *Orduini* vulgo dicti, conficiuntur et uſque in Germaniam venum portantur.

Folia oppoſita, obverſe-ovata; baſi ſubcordata, inaequalia. *Cymae* terminales, tomentoſae, uti folia, ſex vel ſeptemfidae. *Flores* odorati, albi, antheris flavis. *Baccae* oblongae, nigrae, ſemine depreſſo, utrinque biſulcato. Floret Junio, fructus autumno maturat ſubdulces.

VIBURNUM dauuricum.

VIBURNUM foliis ovatis ſerratis punctato piloſis, cymis dichotomis paucifloris.

Lonicera mongolica. *Flor. Roſſ. vol. I. part. 1. p. 59. tab. 38. Pallas itin. III. app. p. 721. n. 76. Gmelin. Fl. ſib. III. p. 135. n. 8. t. 25.*

Corrigo lubenter errorem quem, inductus primum auctoritate *Gmelini*, dein vero negligentia ſtudioſi, qui baccas alienas, tanquam hujus fruticis, e Dauuria adtulerat confirmatus, in *Itinerario* quondam commiſi et in priore parte *Florae* continuavi.

Attulit e Dauuria Cel. *Laxman* veros fructus cum ſpeciminibus, ſub nomine *Corni dauuricae*, e quibus tandem apparuit: hunc fruticem, pro Lonicera quondam habitum, vere eſſe Viburni ſpeciem, admodum affinem Lantanae, quam et creſcendi modo ſatis refert. Pumili frutices, quorum ſpecimina a *Laxmanno* habeo, magis divaricatis et ſaepe dichotomis creſcunt ramis. *Folia* quoque magis rotundata et obtuſa habent, minusque piloſa. Folia nunc obſervo in inferiore pagina punctis prominulis ſparſa, quae pilis rigidis ſtellata ſunt; ſimiliaque habet Lantana. *Pedunculi* cymae itidem ſcabri, ſed minori gradu, et flores a Lantana diverſi. *Bacca* ſimillima Lantanae, niſi oblongior, rubra primum, demum nigra, dulcis. *Semen* continet unicum ovale, utrinque bicanaliculato-triconvexum, gryſeum, lignoſum. *Folium* varietatis in *Tab. LVIII.* ad *F.* baccam vero et ſemen ad *G.* delineavi, ut tandem illuſtretur ſpecies.

VIBURNUM Opulus.

VIBURNUM foliis lobatis, petiolis glandulosis. *Lin. syst. pl. I. p. 734. sp. 7. Du Roy hort. harb. II. p. 477. Flor. dan. t. 661. Du Hamel. arb. II. p. 89. t. 16. Gmelin. Flor. sib. III. p. 145.*

Rossis *Kalina* (Калина), *Kalinnik.*

Fennis *Koiran-Kusan;* Votjacis *Schu-pu;* Tscheremissis et Tschuvaschis *Polan.*

Ostiacis ad Ket fl. *Tut;* Wassuganis *Sokolt;* Tymensibus *Naerg*, fructus *Tom* vel *Top.*

Tataris *Soetel-bolàn;* Kirgisis *Asarmasa* et *Tschingis;* Sagais *Schangesch.* Teleutis *Schangis.*

Calmuccis *Tschangis.* Armenis *Alaschari.* Georgianis *Msakaeli*, *Ditula.*

Arbuscula frequens in humidis sylvosis totius Rossiae et Sibiriae a boreali plaga usque in maxime australes situs, imo ad Buchariam et Persiam usque. In australibus passim occurrit varietas rosea floribus omnibus sterilibus. Sibirica arbor omnibus partibus minor europaea, cymis minoribus et paucifloris esse solet. — *Stellero* observante ultra Lenam, in terris versus orientalem oceanum declivibus, deest Opulus. — *Baccae* a Rossis satis frequenter comeduntur, praesertim cum farina hordei fermentati in olla tostae, quod magma *Calinina* vocant et in placentulis adhibent, vel cum melle et farina in pastam coctae. — De experimento, quod *Gmelinus* e *Stelleri* observatione recenset, nunquam quidquam audivi; neque satis verosimile videtur spiritus frumenti odorem et saporem his baccis ita temperari posse, ut aquae fiat similis.

VIBURNUM orientale.

VIBURNUM foliis sublobatis serratis, pedunculis eglandulosis. Opulus orientalis. *Tournefort. instit. R. H. Cor. p. 42.*

In subalpinis Imeretiae inter fluvios Rion et Quirila, in districtu Radsha, hanc speciem observavit Cel. *Güldenstaedt*, in quercetis et fagetis aestate florentem, et Julio jam maturis baccis onusta specimina legit.

Frutex diffusus, statura Ribis rubrae; habitu Opuli, cortice laevi fusco vestitus, *ramis* oppositis, rectis brachiatus. *Folia* opposita, magnitudine saepe Aceris campestris et ultra, cordata, triloba, laxeque serrata, lobis acutis divergentibus. *Petioli* teretes, supra canaliculati, glandulis carentes. *Cymae* septemfidae, quinquefidae, in ramulis septemfidae, pedunculis multifloris. *Bracteola* minima, linearis, alba ad singulum florem. *Calyx* quinquedentatus minimus, vix percipiendus, albus. *Corolla* campanulata, quinquefida, alba, Ebuli flore aliquanto minor. *Stamina* quinque, corolla longiora, alba. *Germen* pyramidatum; *stigmata* 3. sessilia, obtusa, tuberculosa. *Baccae* compressae rubrae, magis oblongae quam Opulo; semen ovale, utrinque bicanaliculato-triconvexum, ut in Lantana, quod non in Opulo.

Species distinctissima, a *Linnaeo* perperam omissa, cujus tantum folium et baccam in Tab*LVIII.* ad *H.* addere visum fuit.

STAPHYLEA.

STAPHYLEA pinnata.

STAPHYLEA foliis pinnatis. *Lin. ſyſt. plant. I. p. 739. ſp. 1. Du Roy hort. harb. II. p. 439. Du Ham. arb. II. p. 281. t. 77.*

Roſſis *Klekotſchka* ſ. *Kolokotina* (Клекочка, Колокотина).
Georgianis *Tshondsholi.*

Habitat in valle Cachetiae in dumetis fluvium Alaſan ambientibus, ad oſtium fluvii Ilto, nec non ad Cſani fl. circa Achalgori; extra Caucaſum apud nos non ſpontanea. Floret Aprili. Racemi florum ſemiapertorum a Georgianis ſale et aceto condiuntur, ut in Europa Capparides.

LIGUSTRUM.

LIGUSTRUM vulgare.

LIGUSTRUM foliis lanceolato-ovatis. *Lin. ſyſt. plant. I. p. 18. Du Roy hort. harb. I. p. 364. Du Hamel arb. I. p. 359. t. 137. Blakwell. icon. t. 142.*

Roſſis in Nova Servia *Shoſt* (Жость), ad Terec fl. *Birjutſchina* (Бирючина) i. e. baccae lupi.
Georgianis *Kankara.*

In dumetis Terekienſibus circa Tſchervlenova et Mosdoc frequens, deinde ſimilibus locis planis ad Alaſan, Aragi, Cſani, Liachvi et Cyrum Caucaſi fluvios, nunquam tamen in juga alpina adſcendens; etiam in Nova Servia ad fl. Vorſcham et alibi circa Dynaprin occurrit. *Baccis* ſemper nigris, viminibus vix cubitalibus aſſurgens, foliis acutis. *Lignum* album extus, interius rufeſcens, teſtaceo faſciatum, oſſea duritie.

Not. Syringa vulgaris et *perſica* licet in hortis Kislarienſibus et Teflisienſibus, paſſimque per Georgiam, ut in Cherſoneſo taurica hoſpitentur, nullibi tamen ſpontaneae in Caucaſo apparent. Roſſis *Serik (Сирикъ)*, Georgianis *Jaſſemanni.*

JASMINUM.

JASMINUM.

JASMINUM fruticans.

JASMINUM foliis alternis ternatis ſimplicibusque, ramis angulatis. *Lin. ſyſt. plant. I. p. 17. ſp. 4. Du Roy hort. harb. I. p. 315.*

Roſſis *Jasmin* (Ясминъ).

Tataris tauricis *Jaſſaman.*

In montoſis maritimis Cherſoneſi tauricae et in apricis rupium cotacearum ad pedem promontoriorum auſtralium Caucaſi, v. gr. ad fl. Cſani circa Cſauriſi, et ad Cyrum circa Zicheſire, Magheta et Tiflis, frequentiſſime creſcit; ut et in Perſia ubique. Floret initio Maji, odore debili et in frigidioribus vix ullo. *Sapor* foliorum ſubauſterus.

Frutex ſpontaneus bipedalis vel altior, teres, cortice laevi cinereo; *ramis* virgatis, angulatis, viridibus. *Folia* vel ſimplicia, ad ramorum exortum ſemiverticillatim ſeſſilia, vel ternata petiolata, alterna; *foliola* lanceolata obtuſa. *Flores* terminales ſubpedunculati, aggregati vel ſolitarii, lutei. *Corolla* vulgo ſexfida, alias inter 4. et 8 lacinias varians. *Stamina* duo, tubo non longiora. *Stylus* columnaris, tubo corollae dimidio brevior, *ſtigmate* obſolete bifido. *Baccae* deciduis foliis matureſcentes, nigrae, ribis magnitudine.

JASMINUM officinale.

JASMINUM foliis oppoſitis, foliolis diſtinctis. *Lin. ſyſt. pl. I. p. 16. ſp. 1. Du Roy hort. harbec. I. p. 314. Du Hamel. arb. I. t. 122. Blakwell. icon. t. 13.*

Specimina egregia et grandibus floribus ſpecioſa ex Imeretia accepi, inter fruticeta alpeſtria circa Kutais lecta, ubi Auguſto floret.

RIBES.

RIBES nigra.

RIBES inermis, racemis pendulis pubeſcentibus, floribus oblongis. *Lin. ſyſt. pl. I. p. 565. ſp. 3. Du Roy hort. harb. II. p. 315. Flor. dan. tab. 556. Blakwell. icon. tab. 285.*

Roſſis *Smorodina tſchernaja* (Смородина черная).

Fennis *Seſtarlaipen.* Permice *Soeterpu.* Sirjaenis *Soetir-pu.* Tſcheremiſſis *Schem*, *Schepter.* Votjacis *Sutir-pu.* Oſtiacis ad Ob et Ket fl. *Kapte;* Waſſuganis *Tſchovtſchak.*

Tataris *Karagat;* Calmuccis *Chara-Toſchli.* Buraetis *Kuſirganà.*

Mongolis *Chatchuur* vel *Chân-Idœhn*, i. e. Cibus regius.

Tunguſis *Ajulil*; Lamutis *Jogala.*

In borealibus Roſſiae ſylvis et per omnem Sibiriam, maxime ſubalpinam, ad rivos et in ſylvis provenit frequens, baccis plerumque et racemis praegrandibus et egregie ſapida. — Folia foetida a Roſſis in Sibiria potui domeſtico acidulo inmacerantur, quod ſanitati prodeſſe credunt. E baccis vel ſimpliciter, vel cum melle fermentatis, cum vel ſine ſpirituoſi additione, fit apud Roſſos potus vini ſuccedaneus, vel expreſſus ſuccus ſpiritui frumenti admiſcetur. Baccae etiam Urſis expetitae, uti Vitis idaeae.

RIBES americana.

RIBES inermis, racemis ſuberectis pubeſcentibus. *Medic. Soc. oecon. palat. 1764. p. 268.*

Groſſularia americana non ſpinoſa, fructu nigro majore in racemis longiſſimis erectis, folio non olente. *Steller. mantiſſ. manuſcr.*

Hunc fruticem *Stellerus* in littore Americae ad Promontorium Eliae obſervavit, et ſimilem circa Kovyma, Indigirka et Anadyr fl. provenire et a Roſſis Anadyrenſibus vulgo *Dikuſcha* (*дикуша*) appellatum fuiſſe accepit. *Stelleri* deſcriptionem appono, quandoquidem mihi ne per ſpecimina quidem innotuit:

Forma et modo creſcendi per omnia coïncidit exacte cum Ribe nigra; differt quod racemi dodrantales ſint, erecti, non pendentes, pariter ac baccae in racemo uncialibus craſſiuſculis pedunculis; dein, quod nec folia, nec cortex, neque baccae ullum odorem ſpirent. *Baccas* immaturas vidit *Steller*, ſed nigras evaſuras ex obſcure viridi et opaco earum colore concludit.

RIBES rubra.

RIBES inermis, racemis glabris pendulis, floribus planiuſculis. *Lin. ſyſt. pl. I. p. 564. ſp. 1. Du Roy hort. harbec. II. p. 309. Du Hamel. pomon. I. tab. 1. Blakwell icon. t. 285.*

Roſſis *Smorodina kraſnaja* (Смородина красная), in Sibiria *Kisliza* (Кислица).

Livonis *Suſtrini;* Eſthonis *Soeſtra-* vel *Harraka-marjad;* Fennis *Vinamarjapu;* Permecis et Sirjaenis *Kellits-ſoeter;* Tſcheremiſſis *Jakſchar;* Votjacis *Sutur-pu;* Oſtjacis *Kelpo.*

Tataris *Kyſil-gat;* Turcis *Kyſilmac.*

Mongolis *Ólàlzachanà.* Buraetis *Ulaganà.* Tunguſis *Igelikta*, Lamutis *Jógala.* Kamtſchadalis *Brórotatſch.*

Georgianis *Mods-chari.* Oſſetinis *Katardſch.*

In Roſſiae planioris ſylvis vix niſi rariſſime occurrit; ſed in Sibiriae, praeſertim auſtralioris convallibus ſubalpinis, et maxime ad Altaïcos et Baïcalenſes montes frequentiſſimus eſt frutex, ibique fructus inſignes, in maximis racemis, eximie acidos profert; quibus plebs aquae intritis potum aeſtivum ſibi parat apprime refrigerantem et ſanitati proficuum. *Folia* hujus vel praecedentis, ſalitis cucumeribus et braſſicae, pro augenda aceſcentia adduntur. *Baccae* ſemper ruberrimae; frutex ſpontaneus ſaepe bicubitalis. Datur etiam in Caucaſi ſubalpinis.

RIBES procumbens. Tab. LXV.

RIBES inermis, ſurculis procumbentibus, racemis patulis, floribus planiusculis monogynis. *Pallas itin. III. p. 256.*

Ribes inerme, caule procumbente, racemis pendulis, baccis maximis. *Gmelin. Fl. ſib. III. p. 173. ſp. 8.*

Ribes polycarpos, Groſſulariae fructu. *Gmelin.* ap. *Amman. ſtirp. ruth. p. 197. n. 275.*

Roſſis in Dauuria *Mochowaja Smorodina* (Моховая смородина) i. e. Ribes muſcorum.

Mongolis *Joboghon-Niddun*, i. e. Ribes ambulatrix vel ſerpens.

In Dauuriae muſcoſis, umbroſis et paludoſis convallibus paſſim frequens; rarior in Selengae fl. tractu. Accepi poſtquam Dauuriae valedixeram, ſpecimina cum fructu, quae diſtinctam ſpeciem confirmarunt, et nuper, poſtquam icon jam aeri inciſa fuit, etiam integrum fruticem florentem miſerunt amici. Folia odore carent; guſtu vinoſa.

Trunci in muſco latentes calamo cygneo vix craſſiores, *ramis* filiformibus, in muſco procumbentibus, ſpithamali demum altitudine aſſurgentibus, ubi extremo ſunt herbacei, omnino inermes. *Folia* alterna, longe petiolata, trilobata, diametro transverſo multo latiora, baſi fere rectilinea integra: *lobis* ſerratis, lateralibus ſubinciſis. Aeſtate haec folia magnitudinem iconis

aequant,

aequant, in florente frutice Groſſulariae folia circumſcriptione aemulantur, inferiore pagina petiolisque ſubpiloſa. *Racemi* axillares 5, 6, ſeptemflori, nudi, pedunculis florum longis ſetaceis patuli, florentes erecti. *Flores* forma et ſtructura fere Ribis rubrae, ſed minores, laciniis quinque livido-purpuraſcentibus, pubeſcentibus, acutis patentes. *Antherae* vix e calyce prominentes. *Baccae* Ribe nigra ſaepe majores, e racemis ſuberectis pendulae, globoſae, umbilico laciniis corollae coronato, viridi luteſcentes, vel rufeſcentes ubi maturae, guſtu gratiſſimae, ideoque in Dauuria admodum requiſitae.

In horto Demidoviano, Moſcuae, procerior et robuſtior evaſit haec ſpecies e ſemine educata.

RIBES alpina.

RIBES inermis, racemis erectis: bracteis flore longioribus. *Lin. ſyſt. pl. I. p. 565. ſp. 2. Du Roy hort. harb. II. p. 213. Jacquin. Fl. auſtr. tab. 47. Gmelin. Fl. ſib. III. p. 173.*

Roſſis *Gluchaja Smorodina* (Глухая смородина) i. e. Ribes fatua; aliis *Tolokńaeſchka* (Толокняшка) i. e. bacca farinacea.
Tunguſis *Ajut.*

In Ingriae et borealis Roſſiae ripis ſiccioribus v. gr. ad Ladogam lacum, et in Sibiria paſſim provenit; a *Gmelino* ad Jeniſeam, a me ipſo circa Baïcalem et ad Selengam, a *Stellero* in Camtſchatca obſervata. *Dioica*, aeque ac ſequens ſpecies; mihi tantum in hortis eſſe videtur, dum frutices aliqui debiliores flores omnes ſtylo imperfecto ſteriles proferunt. Sed inter ſpontaneos tales dari non affirmaverim. *Baccae* hujus fatuae, mucilaginoſae, culturam non ſuadent. *Flagella* apud nos tenuia, albida, ſine ullo ſpinarum veſtigio. *Folia* triloba baſi rotundata, lobis acutis ſerratis.

RIBES diacantha. Tab. LXVI.

RIBES axillis biſpinoſis, racemis erectis foliis cuneiformibus inciſis. *Patl. itin. III. append. p. 722. n. 79. tab. I. fig. 2. Lin. ſuppl. pl. p. 157.*

Groſſularia dauurica montana, uvae criſpae foliis et facie, fructu Ribes, in racemulis cooglobatis, rubro, minore, ſubdulci. *Meſſerſchmid.* ap. *Amman. ſtirp. ruth. p. 198. n. 276.*
Roſſis in Dauuria *Taranuſchka* (Таранушка).
Mongolis *Oergén*, vel *Taekkaein-Schaehk.* Tanguſis *Rambu.*

Abundat in glareoſis et ſaxoſis circa fluvios Dauuriae, itemque circa Selengam in ripis et inſulis, nec a ſalſo ſolo aliena. *Floret*, jam foliata, Majo, baccas ſub finem aeſtatis perficit, quae etiam ſiccatae in cupediis ſunt et paſſularum corinthiacarum apud Sibirienſes ſuccedaneae.

Frutex

Frutex ſesquiulnaris erectus, virgatus. *Rami* ſtrictim erecti, epidermide gryſeo-albicante obducti, ſubramoſi. *Aculei* ad omnes gemmas gemini, divergentes, rectiuſculi vel ſubincurvi, in ſenioribus ramis truncisque oblitterati. Rupeſtri frutici ſpinula una alterave, hinc inde ſupra infraque axillares ſparſa adeſt. *Folia* faſciculata, cuneiformia, trilobato-inciſa, ſubtrinervia. *Racemi* inter folia ſolitarii, erecti, multiflori, ramento lineari ad ſingulum florem. *Flores* planiuſculi, parvi, vireſcente-flavi, laciniis oblongis obtuſiuſculis patentibus. *Baccae* mole Ribis alpinae, rubicundae, maturitate obſcurius rubentes, acidulo-dulces, ſeminibus quatuor, rarius quinis, majuſculis, depreſſis.

In horto Demidoviano haec ſpecies e ſemine educata folia profert latiuſcula, magis rotundata, inciſa, baccis nihil aucta; ſed frutices aliqui, uti et in Horto Vindobonenſi obſervavit Celeberr. *Jacquin*, flores proferunt ſteriles; quod non in ſpontaneis.

Varietatem nuper, foliis triplo majoribus, profunde inciſis, ſpinis pluribus circa axillares minoribus ſparſis, ſine flore vel fructu, in ſaxis elatis creſcentem miſit *Jaerich*, et Mongolis *Taekœin-Schaehk* appellari dicit.

RIBES Uva criſpa.

RIBES ramis aculeatis reclinatis, baccis glabris, pedunculis unibracteatis.

Lin. ſyſt. pl. III. p. 566. ſp. 6. Du Roy hort. harb. II. p. 316. Du Hamel. arb. I. p. 278. tab. 109.

Roſſis *Kryſhownik* (Крыжовникъ).
Buraetis ibidem *Takein-dſhek.*
Dugoris *Tſchibulſa.*

In rupibus ſubalpinis apricis totius Sibiriae, et paſſim in Caucaſo frequens frutex, qui etiam Petropolitanum clima in horto optime perfert, nec baccas ſpontaneo rupeſtri majores tulit. Quandoquidem ſynonyma aliqua, ad Uvam criſpam referri ſolita, mihi non prorſus quadrare viſa ſunt, malui deſcriptionem fruticis noſtratis addere.

Frutex diffuſus ſurculis ſaepe ulnaribus (in horto majoribus), verſus terram ſubarcuato recurvis, ramulis foliisque ſurſum ſecundis. *Aculei* in junioribus ſurculis undique horrentes, ſetacei, ſparſi, majoresque ſub omnibus gemmis ternati, patentiſſimi, qui etiam in antiquis ramis perſiſtunt, in quibus reliqui ſenſim detriti. *Folia* longius petiolata, triloba, lobis exterioribus ſaepius ſemibifidis, inciſa; petioli pilis ciliati, folia nuda. *Pedunculi* e gemmis foliaſcentibus ſolitarii, bracteola ſimplici notati, plerumque uniflori, rarius biflori, erecti, ſummitate ramorum primo floreſcentes. *Calyx* campanulatus, glaberrimus, viridis, *laciniis* ſex reflexis, oblongis, ſuperiore pagina purpuraſcentibus, ad quorum baſin *ſtamina* et ex intervallis enaſcuntur *petala* parallele erecta, laciniis calycis breviora, alba, ſubſpathulata. *Stamina* petalis longiora, craſſiuſcula albida, anthera pallida. *Stylus* longitudine fere ſtaminum, viridis, infra ſtigma obſolete didymum coarctatus. *Baccae* vix piſo majores, corollae reliquiis umbilicatae, virides cum rubore, vel totae rufeſcentes, grati ſaporis.

Floreſcit initio Maji, et odorem e floribus exhalat ſpermaticum, Berberidis aemulum. Baccae ſera aeſtate ſucceſſive maturantur.

RHUS.

RHUS Coriaria.

RHUS foliis pinnatis ſerratis ovatis, ſubtus pubeſcentibus. *Lin. ſyſt. pl. I. p. 727. ſp. 1. Blakwell. icon. t. 486. Du Hamel. arb. II. p. 218. n. 1. tab. 52. Hablizl. deſcr. taur. p. 105.*

Roſſis *Koſhevnoe derevo* (Кожевное дерево).
Tataris et Perſis *Sumàch.*

In Caucaſi meridionalioribus ſpontaneus paſſim atque per omnem Perſiam et Orientem frequens frutex, etiam in ſylvoſis montibus Tauricae, circa Jalta, et inde usque ad Aluſchta ſatis copioſe provenit, ſed pumila ſtatura, ramis procumbentibus, vix ulnari altitudine aſſurgentibus; at in Perſia procerior et erectus. Armeni, Perſae, Turcae et Georgiani baccas ſiccatas demtoque ſemine contritasque pro aciditate carnibus et juſculis concilianda etiam num adhibent frequentiſſime.

Rami teretes, juniores, ut rhaches foliorum, undique pubeſcentes. *Folia* alterna pinnata, rhachi longiſſima tereti; *foliola* 5. vel 6 parium, ſeſſilia, ovato-acuta, groſſius ſerrata, rigidula, caneſcentia, ſubtus pubeſcenti-albida. *Racemi* terminales, compoſiti, pubeſcentes, floribus glomeratis, parvulis, flavo-vireſcentibus, intermixtis bracteolis minutis. *Baccae* ruberrimae, confertae, globoſae, rufo tomento quaſi holoſericeae, acido-auſterae. *Semen* ovali-lenticulare, gryſeum, durum.

Botanicorum aliqui videntur Rhus typhinum cum Coriaria confudiſſe, unde ſynonyma *Linnaei* quaedam expungenda.

RHUS Cotinus.

RHUS foliis ſimplicibus ovali-rotundatis. *Lin. ſyſt. plant. I. p. 732. ſp. 17. Du Roy hort. harb. II. p. 300. Du Hamel. arb. I. p. 191. t. 78. Pallas itin. III. app. p. 720. n. 75*. tab. H. Jacquin. Flor. auſtr. tab. 210.*

Roſſis *Sheltoe derevzo* (Желтой деревцо) i. e. frutex flavus; ad Donez fl. *Shevſkie derewze* (Жевскїя деревце) i. e. arbuſcula coriaria. Maloroſſis *Skomzia.*

Tataris *Belge* ſeu *Welgy* et *Sagtian-japrak;* item *Sare-agatſch*, i. e. lignum flavum.

Tataris tauricis *Kokrak.*

Georgianis *Tremli.*

Ad Hypanim ſ. Bug et Hyrgyn ſeu Donez fluvios itemque in deſerto inter Cuma et Terec fl. in arenoſis tractibus Anketeri et Dubigi copioſe creſcit, unde Aſtrachaniam et alibi virgulta cum foliis pro parandis coloratis pellibus *(Saffian)* adferuntur et pondo 40 libr. pretio plus minus dimidii vel integri rublonis, imo plurium interdum rublonum, vaeneunt. His in furfures redactis

coria

coria primum durantur, dein etiam addito alumine flavo tinguntur, plerumque addita radicis Berberidum coctura. Cum alumine largitur tincturam fulveſcentem ſericis et lanae. In Caucaſi borealibus caeterum non apparet, ſed in auſtrali declivitate, praeſertim per diſtrictus Georgiae, Seriſto et Muchran. In Tauride etiam provenit ſylvoſis locis, circa Eski-Crym, Bachtſchiſarai et Mangut. Folia recentia odore vinoſo pollent.

Frutex pumilus, virgultis rectis, calami craſſitie, ſubramoſis ſurgens; quae teretia, cortice laevigato, gryſeo luteſcente obducta, juniora ſubpubeſcentia. *Folia* alterna, ſimplicia, pedunculata, ovalia, integerrima, nervo ſubtus medio inſigni, lateralibus transverſe parallelis. *Paniculae* terminales laxae, bracteolis paucis adſperſae, ſubdiviſae. *Flores* parvuli, vireſcenti-flavi, plures ſteriles. *Panicula* fructificans omni parte elongata, laxa, pedunculis florum ſterilium capillaribus, valde pubeſcentibus, ramoſo divaricatis, veluti plumoſa, interſperſis pedunculis craſſioribus, apice ſuſtinentibus baccam ſubpyriformem, calyce perſiſtente fultam. Panicula jubata autumno poſt deciduas baccas perſiſtit, immo augetur et ſaepe maxima evadit, pulcherrimo ſpectaculo.

VITIS.

VITIS vinifera.

VITIS foliis lobatis, ſinuatis nudis. *Lin. ſyſt. pl. I. p. 569. ſp. 1. Du Roy hort. harb. II. p. 488. Du Hamel. pomon. II. t. 1 - 6. Blakwell. icon. t. 154.*

Roſſis *Vinograd* (Виноградъ).
Tataris *Jeſòm*, *Iſùm;* apyrena *Kiſchmiſch.*
Armenis *Chagoch;* Georgianis *Waſi*, uvae *Kurtſæni.*
Dugoris *Murka;* Oſſetinis *Saunauſis.*

In nemoroſis ad Terec fl. et vallium temperatiorum totius Caucaſi, ut in omnibus Perſiae ſylvis copioſe ſpontanea provenit, trunco ſaepe femoris craſſitie et altitudine ſupra maximas arbores adſcendens enititur. Datur etiam ad Iſtrum et Bug fl. paſſim; dubium vero an ex horticultura neglecta oriunda vel verè ſpontanea. Vulgaris in tauricae Cherſoneſi montana parte, praeſertim inter Aluſchta et Baluclava arbores ſcandens, denuoque ad terram demiſſa. *Baccae* uvarum ſylveſtrium parvae, ſed maturae ſatis dulces.

Vineae Aſtrachanenſes, Tanaënſes et Tauricae plerumque in planis, imo depreſſis locis poſitae, aeſtivo tempore etiam inundantur, ut citius matureſcant et grandiores evadant uvae. Hinc vinum ex iis vappidum, imperfecta ob aquoſitatem muſti fermentatione, additione ſacchari vel ſiccatione uvarum corrigendum, niſi cultura mutetur.

Caeterum *Varietates* uvarum nobiliſſimae apud nos coluntur, licet haec cultura adhuc in infantia ſit. Aſtrachachaniae praeſertim diſtinguuntur ſequentes:

1.) *Apyrena* praecox, dulciſſima, nomine *Kyſchmyſch* vulgo nota, quod nomen ab inſula quadam Sinus Perſici ortum eſt, unde haec varietas, a Corinthiaca diverſa, in Perſiam, Buchariam et ad nos translata. Variat haec baccis globoſis et oblongis, piſo majoribus, colore vireſcente vel flaveſcente. Acini minimi, plerisque vix ulli; baccis quibusdam ſolitarii magni. Paſſulae ex his palato gratiſſimae, fulveſcentes; vinum optimum.
2.) *Praecox*, baccis albidis, tenuipellibus, fere cum praecedente ſimul matureſcens, initio Auguſti.
3.) *Hungarica*, baccis albis et puniceis, foliis ſubtus tomentoſis, e Pannonia illata.
4.) *Craſſipellis*, uvis albis, ob craſſitiem pelliculae aptior, ut Petropolin et Moſcuam devehantur, quod fit ſuſpenſis curribus, in doliolis panici ſemine completis.
5.) *Cylindraceae* vulgo *Koſji titki (Козьи титки)* i. e. mamillae caprinae dictae, ob formam baccarum fere cylindricam; vireſcentes, Septembri maturae.
6.) *Casbinicae*, e Casbino Perſiae cum praecedentibus illatae; fronde maxima, ſerotinae, trium varietatum: *urceolatis* baccis, medio coarctatis; pollicaribus, quae *Bocalnoi (Бокальной)* appellatur; *rubrae* baccis ovatis purpureis; *nigrae*que baccis minoribus, ovatis, puniceis. Hae omnes diu aſſervari et in diſſita loca transmitti poſſunt.
7.) *Moſchatellinae*, albidae vel purpureae, polline glaucae, tenuipelles, Auguſto maturae.
8.) *Pingues* dictae *(Shirnoe, Жирное)* ex albido coeruleſcentes, ſucco craſſo lentae, attamen facile deciduae, ſarmentorum craſſitie inſignes.
9.) *Conſtantinopolitanae (Zaregradſkoi, Цареградской)* baccis fere pruni mole, purpuraſcente - puniceis, facile deciduis, e quibus vinum fit pejoris notae.
10.) *Autumnales (Oſſentſchak, Осенчакъ)* ſerotinae, baccis globoſis, flaventibus, craſſipelles, e quibus fit vinum album, quaeque cum pampino ſuſpenſae in hyemem facile durant.

In Tauride varietates etiam plures coluntur, de quibus conf. *Hablizl. deſcr. cherſon. p. 72. ſeq.* Praeterea in hortis Moſcuenſibus et Petropolitanis, ubi uvae extra tepidaria nunquam maturantur, dantur inſuper varietates *laciniosa* et *Syriaca*, uvis maximis, cubitalibus, ex Anglia huc translatae.

BERBERIDES.

BERBERIDES.

BERBERIS vulgaris.

BERBERIS pedunculis racemoſis (foliis ovatis ciliatis). *Lin. ſyſt. pl. II. p. 106. ſp. 1. Du Roy hort. harbec. I. p. 75. Blakwell. icon. t. 163. Du Hamel. arb. I. p. 97. t. 58.*

Roſſice *Barbariſs* (Барбарисъ), ad Terec fl. et in Ucrania *Kiſlanka* (Кисланка), item *Kisliza* (Кислица), ad Tanaïn *Paklûn* (Паклунъ).

Tataris *Sare-agatſch*, i. e. lignum flavum; Bocharis *Sirch.*
Armenis *Kutzachur*, *Srisk.* Georgianis *Kodſachuri.*
Oſſis *Tirti;* Dugoris *Turtur.* Tſcherkeſſis *Katchan-zuluk.*

Occurrit primo ad inferiorem Tanaïn et Medvedizam fl. in praeruptis riparum et inciſuris pluvialibus *(Falk)*, copioſiſſime vero ad Terec fl. ſupra Tſchervlenova, et in dumetis promontoriorum Caucaſi, in alpes ſat alte adſcendens et ubique in meridionali quoque jugi parte, in alveis glareoſis torrentium facile omnium vulgaris. Creſcit etiam ſpontanea in Nova Roſſia et hortenſis clima etiam boreale noſtrum Petropoli optime perfert. Aſtrachaniae lignum fruticis e Caucaſo advectum, comminutum ad tincturam corii caprini *(Saffian)* itemque ſerica et linoxyla flavo tingenda adhibetur; centum pondo unico rublone conſtat.

Frutex ſaepe orgyalis, *ligno* flaviſſimo *(Tab. C. fig. 4.)*. *Rami* virgati, recti, cortice cinereo pulverato, obſolete ſulcato. *Stipula* ſeu ſquama lignea, ſub ſingulis gemmis luteſcens, palmata ſpinis quinis, frequentius ternis et in ſummo ramorum ſolitaria; media ſpina ſemper longiore. *Folia* e gemmis conferta, ovata, infra adtenuata, ſerrata, denticulis ſetaceo-ſpinuloſis. *Racemi* inter foliola cernui, nudi, floribus longius pedunculatis, 3 ad 5 ſubverticillatim poſitis. *Flos* ſubgloboſus; *Perianthium* hexaphyllum; *foliolis* 3 exterioribus minoribus, ſubcarinatis, acutis, purpuraſcentibus; tribus interioribus magnis, petaliformibus, flavis, concavo-rotundatis. *Corolla* hexapetala aequalis, *petalis* concavis rotundatis, continentibus: *ſtamina* claviformia. *Germen* oblongum, cylindraceum, *ſtigmate* capitato, ſeſſili. *Odor* florentis fortiſſimus, hircinus vel ſpermaticus. *Baccae* rubrae, oblongo-cylindraceae, diſpermae. *Fructus* in ſpontanea eadem magnitudine et guſtu, ut in hortenſi, ut cultura nihilo emendatior evaſerit.

Not. E terris ſinicis accepi ramum, cum racemis fructiferis, ſiccatum Berberidis vulgari affinis, quae fructu plane non, ſed differt *ſpinis* minoribus, plerisque ſimplicibus, *foliis*que magis elongatis, lanceolatis, venoſiſſimis, margine integerrimis et inermibus. *Rami* huic minus profunde ſulcati.

BERBERIS Sibirica. Tab. LXVII.

BERBERIS pedunculis ſolitariis, foliis ovato-pedunculatis ciliatis. *Pallas itin. II. app. p. 737. n. 108*. tab. P. fig. 2.*

Berberis cretica *Falk. itin. II. p. 164. n. 425.*

Roſſis Colyvanenſibus *Barbaris* (Барбарись).

Mongolis *Scharà-módon* i. e. lignum flavum, item *Uerguſtu-Scharà-módon.*

Tangutis *Gdſarrbo.*

In rupeſtribus apricis Altaïci jugi frequentiſſimus frutex, nec infrequens in Sayanenſi tractu, rarior ad Selengam et in Dauuria. Sacerdotes medicaſtri Mongolorum corticem trunci et radicis pulpoſum flavum colligunt et, a Tangutis edocti, ad varios morbos commendant. Excoquunt ex eodem vel e conciſis virgultis extractum, quod aqua ſolutum oculis dolentibus penicilli ope inungunt, et tanquam prophylacticum contra oculorum morbos adhibere ſuadent.

Fruticulus e fiſſuris rupium excelſarum procreſcens, ſpithamæus vel pedalis, raro major, nunquam ſesquipedali altior, craſſitie vix digiti minimi, rigidus, alterne ramoſus, erectus, *ligno* citrino, *cortice* extus gryſeo ſtriato, intus itidem flaviſſimo. Sub ſingulo ramulo vel gemma *ſpina* palmato-ramoſa, quinquefida, quadrifida vel trifida, in ramis divaricatos et ſtriatos, ſetaceos, rigidos diviſa. *Folia* e gemmis ſen ſpinarum alis faſciculata, oblonga, dentibus ſetaceis diſtantibus ciliata. In plantis e ſemine educatis folia longe petiolata, ſuborbiculata, ciliata. *Flores* inter folia ſolitarii, pedunculo nudo, cernui, ſubgloboſi, majores quam in B. vulgari. *Calyx* exterior triphyllus, vireſcenti-flavus, interior corolla major et latior, totidem foliolis coloratis. *Corolla* hexapetala, intenſius flava. *Baccae* cernuae majores et magis ovatae, quam in B. vulgari, ſtigmate fungiformi umbilicatae, ruberrimae, grate acidae, continentes *ſemina* quinque oblonga, hinc compreſſa, gryſea, guſtu acerba.

Icon exprimit ramum florentem, cum foliis tenerioribus, et alterum, baccis maturis onuſtum, in quo folia adultiora. Ad *A.* portio ramuli ſenioris ſpinis validioribus inſtructa.

HIPPO-

HIPPOPHAË.

HIPPOPHAË Rhamnoïdes. Tab. LXVIII.

HIPPOPHAË foliis lanceolatis. *Lin. ſyſt. pl. IV. p. 242. Du Roy hort. harb. I. p. 306. Du Hamel. arb. I. p. 211. t. 49. Flor. dan. t. 265.*

Roſſice appellari poteſt *Talowoi Tern* (Таловой Тернь), ad Ob fl. dicitur *Rakitnik* (Ракитникь); poſſet vocari *Iwotern* (Ивотернь).

Teleutis *Schiderbàn.*

Mongolis *Tſchezergenæ;* Calmuccis *Tſchezergàn;* Tangutis *Darr-buh.*

Georgianis *Tſchgardela;* Dugoris *Kærſe.*

In ſubalpinis circa Caucaſum, deinde in alveo Obi fluvii ſupra Tomi oſtium, usqe verſus alpes, ad ripas praeruptas paſſim, tandemque ad fluentes Selengae collaterales frequentiſſimus frutex, in Roſſiae depreſſis rarius hinc inde in udis arenoſis occurrens. A Mongolis transbaïcalenſibus baccae, grata aciditate commendabiles, copioſe leguntur et partim ſolae in formam gelatinae ſiccae incoquuntur, partim cum cremore vel caſeo lactis coctae in ventriculis agninis aſſervantur, pro cupediis. Ad Caucaſum et in Mongolorum et Calmuccorum montano tractu Phaſianorum eædem baccae praecipuum praebent pabulum.

Frutex humanam ſaepe altitudinem excedens, arbuſculiformis, incomptus, *trunco* craſſitie carpi; cujus *lignum* gryſeo fuſcoque faſciatum, elegans, ſed fragile et quaſi ſuberoſum, extimis ſtratis flaveſcenti-albidum; cortex tenuis fuſcus. *Rami* recti, ſubdichotomi, ſpineſcentes et e dichotomia ſpiniferi, gryſeo-fuſci. *Folia* in ramulis frequentia, alterna, lineari-lanceolata, obtuſiuſcula, ſupra glauco-viridia, ſubtus argentata, breviſſime petiolata. *Flores* e ramulis praecedentis anni. *Baccae* creberrimae, breviter pedunculatae, ovatae, ſtylo mucronatae, maturae luteſcentes, punctatae, grata aciditate commendabiles.

Icon ramum fruticis Obenſis cum baccis fere maturis, et ſimul ramulum exoticae varietatis, foliis brevioribus, ſiſtit.

VITEX.

VITEX Agnus caſtus.

VITEX foliis digitatis ſerratis, ſpicis verticillatis. *Lin. ſyſt. pl. III. p. 198. ſp. 1. Du Hamel. arb. II. p. 357. tab. 105. Blakwell ic. t. 139. Hablizl. deſcr. taur. p. 103.*

Roſſis *Dikoi perez* (Дикой перецъ) i. e. Piper ſpurium.

Obſervante Amiciſſ. *Hablizl* haec quoque arbor in Taurica cherſoneſo ſponte provenit, ad meridionalem praeſertim oram maritimem, inter Aluſchta et Jalta. *Fructum* a forma globuloſa et acriditate piperis nomine donarunt Roſſi. *Frutex* ab ipſa radice in vimina ſubdiviſus, floret Junio.

FICUS.

FICUS Carica.

FICUS foliis palmatis. *Lin. ſyſt. pl. IV. p. 364. ſp. 1. Du Hamel. arb. I. p. 236. tab. 99. Blakwell. icon. tab. 125.*

Roſſis *Inſhir* (Инжирь) vel *Smokownik* (Смоковникъ): fructus *Figy, Vinnie jagody* (Фигы, винныя ягоды).
Perſis *Antſchir*; Tataris *Indſchir*. Georgianis *Legvi*.

In hortis Caucaſi et Cherſoneſi tauricae ſub dio durat, imo ad Terec fl. quoque, ubi tamen fructus non profert. Spontanea pumila viſa de Cel. *Güldenſtaedt* in rupe calcarea meridici oppoſita ante Tſchelti, Georgiae et in Taurica circa Inkerman et Sevaſtopolin Cel. *Hablizl deſcr. cherſon. p. 76.*

VACCINIA.

VACCINIUM Arctoſtaphylos.

VACCINIUM floribus racemoſis, foliis ovato-acuminatis ſerrulatis, caule arboreo. *Lin. ſyſt. plant. II. p. 166. ſp. 9. Tournefort. itiner. II. p. 222. tab. 223.*

Imeretinis *Mozchwi.*

Provenit in fagetis alpinis ſummi Caucaſi ad Rion ſ. Phaſin, circa Cudaro et Seglevi Imeretiae, et ad fl. Didi-Liachvi, nec non paſſim alibi, cum Sambuco florens. *Sapor* foliorum auſterus, baccarum ſatis grate acidus, quae alpicolis Caucaſi edules. *Odor* nullus.

Arbor fruticoſa, cubitalis, diffuſa, deformis, ramis in eodem plano divergentibus, cortice rubente, ramorum gryſeo. *Folia* fere Padi, alterna, in eodem plano ſita, vix pedunculata, ovato-acuta, tenerrime ſerrulata et venoſa, glauceſcentia, utrinque glabra, niſi coſta ſubtus piloſa. *Racemi* ad ramulos laterales, foliis obumbrati, ſeſquipollicares, raro foliis longiores. *Pedicelli* 3 ad 10, ſecundi, tres circiter lineas longi, uniflori, *bracteа* aequali ovata, concava, decidua ſtipati. *Calyx* breviſſimus, quinquefidus, laciniis triangulis, perſiſtens. *Corolla* cylindraceo-inflata, margine quinquedentata, laciniis acutis, reflexis, exalbido et incarnato varia, magnitudine et forma Symphyti fere florem referens. *Stamina* 10. corolla breviora, filamentis imae corollae adhaerentibus, antheris longis, bicornibus. *Germen* obovatum inferum; *Stylus* columnaris, longitudine ſtaminum, *ſtigma* obtuſiuſculum. *Bacca* globoſa, umbilicata, denticulis 5. calycis coronata, nigra, ſucculenta, quinquelocularis, loculis polyſpermis. *Numerus quaternarius* partium fructificationis rariſſimus; hinc affinis Arbutis, niſi calyce ſupero.

VACCINIUM uliginoſum.

VACCINIUM pedunculis unifloris, foliis integerrimis obovatis laevibus (glaucis). *Lin. ſyſt. pl. II. p. 165. ſp. 3. Du Roy hort. harb. II. p. 473. Flor. dan. t. 231. Gmelin. Fl. ſib. III. p. 137. n. 10.*

Roſſis *Golubiza*, *Golubèl* (Голубица, Голубелъ), *Gonobobyl* (Гонобобылъ), et ab effectu inebriante *Pjaniza* (Пьяница).

Fennis *Jaluka;* Eſthonis *Sinnikud*, et *So-marjad.* Livonice *Glaſenes.* Permienſibus *Tſchoet-latſch.* Tſcheremiſſis *Tſcheride.* Oſtiacis *Koda;* Waſſuganis *Tachtagul.*

Tataris *Kuk-Tſia*, *Djer-Tſcheſtek;* Catſchinzis *Tulga.*

Tunguſis *Dſchiktà;* Lamutis *Dſhit*, *Guikitſch.*

Camtſchadalis *Ningul;* Coraecis *Linyal.* Curilis *Enumu-cutan.*

In ſylvis ſterilibus frigidis et alpinis borealioris tractus a mari balthico usque ad orientalem Oceanum copioſe paſſim creſcit, minus tamen vulgaris ſequenti; baccarum inde magna vis colligitur et in orientali Sibiria pro eliciendo ſpiritu fermentatur. Crudae abunde comeſtae caput afficiunt, et quaſi obfuſcant. *Stellerus* etiam in inſulis et ora Americes, Aſiae oppoſita hanc ſpeciem obſervavit; ad Bjelam fl. idem notat baccas in omnibus plantis ovato-oblongas naſci, Lonicerae coerulae ſimiles, ſed ſapidiſſimas.

VACCINIUM Myrtillus.

VACCINUM pedunculis unifloris, foliis ſerrulatis ovatis, caule angulato.
Lin. ſyſt. pl. II. p. 164. ſp. 1. Du Roy hort. harbec. II. p. 471. Blakwell. icon. t. 463. Gmelin. Flor. ſib. III. p. 136. n. 9.

Roſſice *Tſcherniza* (Черница) a nigredine.

Fennis *Muſtica*; Eſthonis *Muſtikud.* Livonis *Bruhclenes.* Permienſibus *Tſchoet* (Чэшъ). Morduanis *Petſchitſculi*; Votiacis *Kudumalu.* Tſcheremiſſis *Moda*; Oſtjacis *Tſchirtek*, *Sagortſchegar*; Waſſuganis *Pygyttiull.*

Tataris *Karà-Bulagai*; Baſchkiris *Karà-Kugei*, *Kara-Kubugei.* Tſchuvaſchis *Charà-ſirla.*

Mongolis *Nærr*, *Nærsſu*; Buraetis *Nærgun*; Tunguſis *Hinnicto.*

In uliginoſis ſylvis borealioris Roſſiae et Sibiriae vulgatiſſima planta, cujus baccae copioſiſſime crudae et coctae comeduntur. *Stellero* obſervante ad Aldanum fluvium rariſſime occurrit et abhinc orientem verſus plane deficit, nec in terris Camtſchaticis obſervatur. Inter plantas in ora Americae ad S. Eliae promontorium lectas Myrtillum tamen recenſet idem, ſed parce obſervatam. *Varietas* baccis albis, quam ad Jeniſeam *Gmelinus* obſervavit, mihi non occurrebat, ſed eſt notatu digniſſima. — *Folia* Myrtillo non omnia hyeme decidua, unde praedicatum in definitione *Linnaeana* expungendum.

VACCINIUM Vitis idaea.

VACCINIUM racemis terminalibus nutantibus, foliis obovatis revolutis integerrimis, perennantibus. *Lin. ſyſt. plant. II. p. 167. ſp. 10. Du Roy hort. harb. II. p. 475. Flor. dan. tab. 40. Gmelin. Flor. ſib. III. p. 138. n. 11.*

Roſſice *Bruſniza* (Брусница).

Fennis *Puolaca*; Eſthonis *Poolcad*, *Pohlacad*; circa Dorpat *Pallaco marjad.* Livonis *Bruhclenes.* Morduanis *Pitſchumar.* Permienſibus *Pul*; Votjacis *Jagmuhli*; Tſcheremiſſis *Tſchare potſches*; Oſtiacis *Mandy*; Vaſſuganis *Ul.* Samojedis *Nærjanà ode.*

Tataris *Kiſil-Kubeged*, *Narrad-dſhillek* i. e. bacca pini, *Karagatſchi.*

Mongolis *Nær*; Buraetis *Alærgu.* Tunguſis *Iminkurà.*

Camtſchadalis *Kutſchiljatſch*, ad Bolſchaja fl. *Tſchàchatſcha*; Curilis *Nebobké*, *Nipopkip.*

In muſcoſis ſylvarum, praeſertim Pinearum, circa truncos ubique frequens per omnem Ruſſiam, univerſamque Sibiriam. *Foliis* ſub nive viget. *Baccae* copioſe comeduntur, praeſertim poſtquam aliquamdiu autumno et hyeme aqua in cellis maceratae fuerunt. Succo ſic optimum praebent potum acidulum, in morbis acutis commendabilem. Cum melle vel ſaccharo coctae bellaria ſuppeditant haud ſpernenda et quae delicatioribus etiam arrident. Cum hordeo vel ſecali fermentato et baccis aquae incoctis, fit in Sibiria cereviſiae ſpecies, de qua conf. *Georgi itin. p. 208.* Iisdem baccis, cum vel ſine melle et ſpiritu fermentatis, vini ſuccedaneum parant praeſertim in Sibiria.

VACCINIUM Oxycoccus.

VACCINIUM foliis integerrimis revolutis ovatis, caulibus repentibus filiformibus, (corollis reflexis). *Lin. ſyſt. pl. II. p. 167. ſp. 11. Flor. dan. tab. 80. Gmel. Flor. ſib. III. p. 140. n. 12.*

Roſſis *Kljukva* (Клюква).

Fennis *Karpala;* Eſthonis *Joevicud* et *Kurre-marjad* i. e. bacca gruis. Livonis *Dſehrvenes.* Permienſibus *Túripu.* Votiacis *Niur-multi pu;* Tſcheremiſſis *Tuma potſches;* Oſtjacis ad Ob *Caranà*, ad Ketam *Carapſot;* Vaſſuganis *Paén.*

Tataris *Saſch-Jemeſch;* Teleutis *Saſch-Tſcheſtek;* Barabynzis *Tumagus.*

Buraetis *Taſchargana.*

Camtſchadalis *Tſchikym;* Coraecis *Emél kewyna.* Curilis *Aſyt.*

In turfoſis paludibus borealioris Roſſiae et totius Sibiriae, usque in arcticam plagam, frequentiſſima planta, quae autumno pariter et vere, poſtquam ſub nive hybernavit et ſucci pleniſſima eſt, copioſe colligitur et pro bellario cruda, vel ſaccharo mellique incocta, itemque pro potu ſervit, per hyemem in doliis ſuperfuſa aqua vel frigore durata aſſervanda: Expreſſus ſuccus cum aqua praebet commendatiſſimum et gratiſſimum potum in febribus acutis, praeſertim malignis; et acidulum inde paratur hydromel plebeculae expetitum. — Argentarii roſſici pro dealbatione argenti per cocturam ſuccum adhibent. Hujus vel praecedentis baccae frigore duratae vulgo auri imponuntur, pro levandis capitis doloribus. — Easdem in paludibus copioſe legunt Grues et Lagopodes. *Stellerus* etiam verſus orientalem Oceanum et in Camtſchatca obſervavit ſed rariorem, rariusque fructus ferentem. — Cauliculi filiformes tenaciſſimi, in umbra ſiccati pro ligaturis inſervire poſſunt.

ARBUTI.

ARBUTUS alpina.

ARBUTUS caulibus procumbentibus, foliis roguſo-reticulatis ſerratis. *Lin. ſyſt. pl. II. p. 298. ſp. 4. Flor. Dan. t. 83. Gmelin. Flor. ſib. IV. p. 118. n. 2.*

Roſſis in Sibiria *Ampryk* (Ампрыкъ).

In montoſis Roſſiae borealis et jugi Uralenſis ſeptentrionalioribus a Verchoturia usque ad mare glaciale, deinde in alpinis Sibiriae et orientali ejus parte paſſim, locis rupeſtribus occurrit, late ramis ſupra terram diffuſa, et ob baccas grandes et dulces requiſita. *Stellerus* magna copia dari perhibet circa Oceanum orientalem et in Camtſchatca, et appellavit „Uvam urſi flore albo ſeu „vitem idaeam baccis nigris, foliis rugoſis, fructu majori ſucculento„ — At *Gmelinus jun.* in *Flor. Sibirica* perperam huc citavit ſynonymon *Stelleri*, quod ad Rhododendron camtſchaticum pertinet.

Sarmenta humi proſtrata, ramoſiſſima, interdum digiti craſſitie. *Flores* ex apicibus ramorum pauci inter bracteolas enati, penduli, rubentes. *Baccae* majuſculae, primo virides, dein rubentes, demum nigrae, dulces, ſucculentae.

ARBUTUS Uva urſi.

ARBUTUS caulibus procumbentibus, foliis integerrimis. *Lin. ſyſt. pl. II. p. 298. ſp. 5. Flor. lapp. 162. tab. 6. fig. 3. Du Roy hort. harb. I. p. 69. Blakwell. icon. t. 592. Flor. dan. t. 33. Gmelin. Flor. ſibir. IV. p. 118. n. 1.*

Roſſice *Tolokнænka* (Толокнянка) i. e. bacca farinacea. Polonis *Borovka.*

Fennis *Siau-Puolaca;* Eſthonis *Mæhk-marjad.* Livonis *Miltenes.* Permienſibus *Pòn-pul* i. e. baccae caninae.

Coræcis *Kitſchimmuna;* Camtſchadalis ad Bolſchaja *Katakynun.* Curilis *Acácapu.*

In glareoſis ſterilibus ſylvarum praeſertim pinearum totius Roſſiae borealioris et temperatae, ut et Sibiriae frequens. Sed in maxime orientalibus inde a Lena fl. videtur deficere. *Baccae* fatuae vix requiſitae; ſed virgulta cum foliis copioſe colliguntur et in oppida venum portantur, ubi coriariis, praeſertim inter Tataros caſanienſes, frequenti et maximo in uſu ſunt ad praeparanda coria vitulina et caprina, *Saffian* dicta, quem in uſum omnibus arborum corticibus praefertur et facile in furfures redigitur. Uſus medicus apud noſtros ruſticos ignotus.

EMPE-

EMPETRUM.

EMPETRUM nigrum.

EMPETRUM procumbens (ramulis foliisque glabris). *Lin. ſyſt. pl. IV. p. 235. ſp. 1. Gmelin. Fl. ſib. III. p. 16. n. 7.*

Roſſis vulgo *Wodæniza* (Водяница) i. e. bacca aquoſa; Archangelopolitanis *Sſicha* (Ссиха) ab effectu diuretico; in Sibiria orientali *Schikſcha* (Шикша).

Eſthonis *Kukkoſilmad*; Votjacis *Jeoſis.*

Tunguſis *Onukta;* Lamutis *Unta.*

Curilis *Etſchkumamai*, *Jatſchmomai*, *Kurep.*

Camtſchadalis *Oyn;* Coræcis *Getſchúbana.*

In paludibus frigidis totius borealis plagae, a mari balthico uſque ad oceanum orientalem, nec non in Camtſchatca, inſulis verſus Americam ſparſis, ipſaque ora Americae (*Stellero* obſervante) paſſim frequentiſſima eſt. Circa Ochotum et in Camtſchatca non tam montes, quam integros tractus muſcoſos occupat et magnam obſonii partem efficit. *Baccae* a Ruſſis comeduntur, et laudantur tanquam antiſcorbuticae atque diureticae. A Camtſchadalis aliisque gentilibus copioſe colliguntur, cum piſcibus vel in pulticula e liliorum bulbis confecta coquendae. Addito alumine coctae ſuccum largiuntur ceraſorum colore rubrum, quo Roſſi induſia ſericea decolorata rubro tingere ſolent. Cum pinguedine coctae dicuntur inſervire denigrandis pellibus Lutridis et Zibellinarum.

LEDUM.

LEDUM palustre.

LEDUM foliis oblongis subtus tomentoso-ferrugineis. *Lin. syst. plant. II. p. 289. Du Roy hort. harb. I. p. 361. Gmelin. Flor. sib. IV. p. 127. Du Hamel. arb. I. p. 168. n. 13. tab. 67.*

Rossis vulgo *Bagulnik* (Багульникъ,) in Sibiria *Klopownik* (Клоповникъ).

Fennis *Suo-kanarva;* Esthonis *Porst, Porsad;* Lettice *Wahwerin, Wahweraji.* Votjacis *Njur-tug.*

Baschkiro-Tataris *Tschuschir;* Barabynzis *Joschin.*

Mongolis *Sforcharò.*

In Rossiae borealioris totiusque Sibiriae paludibus turfaceis copiosus frutex. In orientalis Sibiriae alpinis multo copiosiore tomento hirsutis ramulis, foliisque interdum latioribus, accedens ad varietatem americanam Anglis *Theae Labradorienſis* (Labrador-Tea nomine notam), similiue europeae praestans fragrantia, quam etiam in hortum Petropolitanum translatus frutex sibiricus servavit.

Etiam Rossis et Livonis concisa Ledi virgulta, cum vel sine humulo, cerevisiae incoquuntur, ut ebriosior fiat; inde tamen cephalaea, nauseae, imo saepe dementia. In Colyvanensi tractu decoctum ad febres tertianas adhiberi observat *Falk.* Laudatur etiam externe decoctum contra scabiem. Passim idem et ad pellendos vitulorum pediculos, itemque ad fugandos cimices ipsa planta adhibetur, clibano praesertim injecta, ut fumus, clausis januis et fenestris per biduum contineatur, unde insecta adulta quidem pereunt, sed non progenies. Pro succedaneo Theae apud nostros Ledi usus nondum invaluit, quem tamen in usu innocuum esse ex America didicimus, sicut in Suecia nuper contra dysenteriam et diarrhoeas cum fructu adhibita fuit.

AZALEAE.

AZALEA pontica. Tab. LXIX.

AZALEA foliis nitidis ovato-lanceolatis ciliatis, cymis terminalibus. *Lin. ſyſt. plant. I. p. 427. ſp. 1. Buxbaum. plant. cent. V. p. 36. t. 69.*

Roſſice *Odur caucaski* (Одуръ кавказскїй).
Georgianis *Jæli.* Abaſſinis *Bſhinze.* Tſcherkeſſis *Aoï.*

Specioſus hic frutex creſcit in ſubalpinis Caucaſi, tam ad ſeptemtrionem, quam ad meridiem jugi ſummi, in fagetis et quercetis frequentiſſimus ad fluvios praeſertim Terec (ubi is e ſummis jugis per Oſſetiam deſcendit), Uruch, Pſechuſch, et transmontanos Aragi, Cſani, Liachvi et Rion ſeu Phaſin. Creſcit etiam in ſummo cacumine montis Beſchtau, ad Cumae origines. *Floret* cum Liguſtro albo et Sambuco nigra: *odor* florum gravis, balſamicus. Ubique apud Georgianos pariter et Oſſetinos conſtat, Apes, hujus flores frequentantes, mel deponere narcoticum, cujus effectum ſaepius experiuntur ipſi, licet ſapore amaricante et ſubnauſeoſo ſeſe prodat. Hinc veroſimillime Rhododendron *Plinii* hic erit frutex, non, ut opinatur *Tournefort*, alterutrum e Rhododendris Caucaſo peculiaribus, quae in *Prima Parte* hujus Voluminis expoſita ſunt. Effectus mellis hujus ſimiles ſunt illis, quos Lolium temulentum excitat, et obſervantur in locis ſeptentrionalibus, ubi Rhododendrum deeſt. Alpicolis ita nota haec virtus, ut Tſcherkeſſis inde proverbium: *an Aoï edifti?* pro ſtulte agentibus. *Folia*, quae amoene redolent et amaricantia ſunt, primo vere, quum paſcua nondum virent, a Capris ſaepe comeduntur cum effectu deleterio; immo boves et oves temulentae inde pereunt. Hinc etiam Aegolethron *Plinii* per hanc Azaleam explicabat Cel. *Güldenſtaedt.*

Frutex ſaepius ſeſquicubitalis vel cubitalis, inordinate diffuſus, ſubdichotomus, *ligno* flaveſcente, *cortice* cinereo laevi, *ramis* extremis apice partim foliatis, partim ſimul floriferis, infra nudis. *Folia* in ſummis ramis conferta, patentia, oblongo-ovata, acuta, rigidiuſcula, ſubundulata, integra, pilis rigidulis ciliata, ſupra ſcabriuſcula, infra laevia, enrvoſo-venoſa, nec punctata, petiolo breviſſimo ciliato inſidentia. *Flores* in cymam terminalem congeſti, 20 et plures, in *pedicellis* erectis, piloſis, uniſloris, longitudinem floris aequantibus. *Perianthium* quinquepartitum, breviſſimum, perſiſtens, laciniis oblongis, piloſis. *Corolla* (maxima hujus generis) monopetala, ſemiquinquefida, irregulariter infundibuliformis, dilute fulva; *tubus* longus, ſubincurvus, pentaëdrus, pubeſcens; *limbi* laciniae ovato-acutae, margine reflexae, quatuor ſubaequales, *quinta* latior et baſi introrſum alata. *Stamina* 5. filamentis imo tubi adhaerentia, ſubdeclinata, baſi ultra medium hirſuta, longitudine corollae; *antherae* oblongae, didymae. *Germen* conicum, obſolete pentagonum, ſuperum, baſi annulo prominulo cinctum; *ſtylus* filiformis, ſtaminibus paulo longior; *ſtigma* capitatum. *Capſula* ſicca, dureſcens, oblonga, pollicaris, acuta, ſubincurva, pantaëdra, quinqueconvexa, quinquelocularis, valvis totidem, apice dehiſcens, polyſperma. *Semina* ſcobiformia, gryſea.

In *Icone* noſtra *ſuperior figura* ramum florentem, plurimis floribus jam deciduis, *inferior* alium cum capſulis paene maturis, et ſimul *capſulam* transverſim et longitudinaliter ſectam exprimit, addita etiam valvula duplici ab interiore latere ſpectata.

AZALEA lapponica. Tab. LXX. Fig. 1. AB.

AZALEA foliis ovatis ſubtus punctatis. *Lin. ſyſt. plant. II. p. 429. ſp. 5. Flor. lappon. 89. tab. 6. fig. 1. Gmel. Flor. ſib. IV. p. 125. t. 55.*

Chamaerhododendros folio vitis ideae, flore roſeo minore. *Meſſerſchm. Hodeget. MS.*

Roſſis *Odur rſhawnoi* (Одуръ ржавной).

Tunguſis *Schonkira.*

In excelſis jugis Dauuriae ſubalpinis paſſim inter ſylvam pariter et apricis locis montium provenit; in primario Jugo *(Stanovoi Chrebet)* ad Nertſcham Cel. *Laxmann*, inter Barguſin et Vitim fluviorum capita Cel. *Georgi (itinerar. p. 213.* ubi pro Rhododendro ferrugineo poſita eſt), at in rupibus ad Bjelam indefeſſus quondam *Stellerus* et in Sajanenſi jugo, ſupra Abacanum, ad Jabaſch et Arbat rivos, *Meſſerſchmidius* obſervarunt.

Eſt verè gigantea varietas Azaleae lapponicae quam e noſtris alpibus deſcribo, et quae e Sibiria in hortum Imperialem Saraevillanum translata, ibi aliquot jam annis viguit et floruit, cum Rhododendris et Azaleis plurimis. *Frutex* ſeſquipedalis et ultra, truncis pluribus, calamum cygneum aequantibus, ſubdichotomis, erectus: ramis apice folioſis et florentibus; *lignum* album fragile; *cortex* gryſeus. *Folia* in ramulorum apicibus conferta, hyeme perſiſtentia, parvula, breviſſime petiolata, ovato oblonga, coriacea, ſupra vix evidenter punctata, ſubtus punctis valde conſpicuis, in maturioribus foliis ferrugineis ſparſa. *Pedunculi* terminales, plerumque bini, rarius terni, foliis paulo breviores, erecti, punctati. *Flos (fig. 1 A.)* exacte Azaleae lapponicae. *Capſulae (fig. 1 B.)* breves; obtuſae, quinquevalves. Cum calyce perſiſtente tandem ferrugineae, apice dehiſcentes. *Odor* tritae plantae balſamicus, therebintinaceus, fragrantior etiam ſiccis foliis, quam plantae lapponicae.

AZALEA procumbens. Tab. LXX Fig. 2 ABC.

AZALEA ramis diffuſo-procumbentibus (foliis convexis, cartilagineis margine inflexis). *Lin. ſyſt. pl. I. p. 429. ſp. 6. Flor. lapp. 90. tab. 6. fig. 2. Flor. dan. tab. 9. Gmelin. Fl. ſib. IV. p. 126. n. 12.*

Roſſice *Odur ſtjelajuſtſchei* (Одуръ стѣлающей).

Haec ſpecies a Lapponia per plagam arcticam extenſa, in Sibiria maxime orientali, ultra Lenam fluvium ubique, etiam in Camtſchatcam uſque, in paludibus muſcoſis provenit, ſed in auſtralioribus Sibiriae alpinis nullibi quod ſciam, occurrit.

Planta ſibirica et camtſchatica ſurculis ſaepe ſpithamalibus ramoſiſſimis expanſa, helveticae ſimilior, quam lapponicae; *variat* ſaepe foliis *(fig. 2 B.)* latius ovatis. *Odor* contritae nullus. *Icon* noſtra *2 A.* plantam vulgari habitu florentem; *2 B.* varietatem foliis ovalibus, capſulas maturas ferentem, ad *b.* capſulam in loculamenta ſua disjectam; et ad *2 C.* florem et calycem exprimit.

ANDRO-

ANDROMEDÆ.

ANDROMEDA polifolia. Tab. LXXI.

ANDROMEDA pedunculis aggregatis, corollis ovatis, foliis alternis lanceolatis revolutis. *Lin. ſyſt. pl. II. p. 293. ſp. 5. Flor. lapp. 173. tab. 1. fig. 3. Flor. dan. tab. 54.*

Polifolia *Buxbaum. act. Petrop. II. p. 346. Plant. cent. V. t. 49. fig. 1.*

Roſſis *Bolotnik podbjel* (Болотникъ подьбѣлъ.

Eſthonice *Sokaelud.*

In Livoniae Ingriae et totius Roſſiae ac Sibiriae paludibus turfaceis frigidis et alpinis frequens fruticulus, qui in fabricis ſericeis Petropoli et Moſcuae, gallarum loco ad colorem intenſius nigrum producendum adhiberi coepit, quem pulcherrimum et ſolidiſſimum conciliat. *Stellerus* etiam in Camtſchatca, imo Inſula Beringi obſervavit.

In Ingria et temperatioribus *frutex* ſaepe pedalis *(Tab. XXI. fig. A. B.)* pulcherrimis et ſpecioſis foliis et floribus ſuperbiens, imo interdum latifolius *(fig. D.)*; at in Sibiriae praeſertim alpinis paludibus, ut in Lapponia, vulgo puſillus *(fig. C.)*, omnibus partibus, etiam flore, minor, foliis peranguſtis, plane convoluto margine. *Truncus* parcius et alterne ramoſus, ramis ſtrictis, una cum trunco cortice gryſeo-fuſceſcente obductis. *Folia* hyeme perſiſtentia, glaberrima, per ramos alterna, duriuſcula, ſupra convexa, laete viridia, ſubtus glauca, nervo medio prominenti et marginibus revolutis. *Pedunculi* e gemma terminali ſubimbricata, umbellati, colorati, quinque, ſex, ſeptem; *perianthium* coloratum, parvum, quinquedentatum. *Corolla* inflata, ſubgloboſa in ſpecioſiore varietate, vel ovata, fauce anguſta, exiguo limbo quinquefido coronata. *Antherae* bicornes incluſae; *ſtylus* ſimplex, tandem e fauce corollae prominulus. *(litt. a — c.)*. *Capſula* majuſcula, *(fig A.)* convexe pentagona, truncata, quinquevalvis.

ANDROMEDA calyculata. Tab. LXXII. fig. 1.

ANDROMEDA racemis ſecundis foliaceis, corollis urceolatis, foliis alternis, oblongis, punctatis. *Lin. ſyſt. pl. II. p. 295. ſp. 12. Gmel. Flor. ſib. IV. p. 119. n. 4.*

Chamaedaphne *Buxbaum. act. Petr. I. p. 241. tab. 8. fig. 1.*

Roſſice *Bylina* (Былина), *Bolotnaja Myrta* (Болотная мырта) i. e. Myrtus paluſtris, vel *Bolotnik ſcherochovatoi* (Болотникъ шероховатый).

Haec etiam, plerumque cum praecedenti, in turfoſis, frigidis paludibus, maxime in Ingria et boreali Roſſia frequens eſt, majorem ſemper in fruticem excreſcens. In auſtralioribus Roſſiae deeſt. Per Sibiriam paſſim antecedentis et Ledi plerumque comes et uſque in Camtſchatcam occurrit.

occurrit, ſubdichotomus, ramis patulis, cortice teſtaceo-fuſceſcente. *Folia* alterna, ſurſum ſubſecunda, oblonga, vix evidenter crenulata, utrinque punctata, ſcabra, ſubtus glauceſcentia, brevi petiolo inſtructa. *Extrema* ramorum foliis ſurſum erectis, pedunculisque ex omnibus alis floreſcentiae tempore deorſum flexis, *racemum* ſecundum referunt. *Perianthium* baſi foliolis binis ſtipatum, quinquefidum, laciniis acutis, margine convolutis *(fig. b.)*. *Corolla* alta, urceolata, minus inflata quam praecedentis, fauce amplior, alba, laciniis circa faucem quinis, acutis. *(fig. A.)* *Antherae* haud evidenter bicornes *(fig. c.)*. *Pericarpium* retuſum, umbilicatum. *(fig. B.)*.

ANDROMEDA taxifolia. Tab.LXXII.fig. 2.

ANDROMEDA (coerulea) pedunculis aggregatis, corollis ovatis, foliis ſparſis linearibus, obtuſis. *Lin. ſyſt. pl. II. p. 292. ſp. 3. Flor. dan. tab. 57. Gmelin. Flor. ſib. IV. p. 121. Buxbaum. plant. cent. IV. p. 29. tab. 43.*

Erica foliis aceroſis glabris, imbricatis, floribus campaniformibus, baſi ventricoſis, antheris bifidis incluſis. *Gmelin. Fl. ſibir. IV. p. 131. tab. 57. fig. 2.*

Roſſice dici poteſt *Bolotnik duloszwet* (Болотникъ дулоцвѣтъ.)

Messerſchmidius in montoſis ad Tunguſcam legit et lectam ab eodem plantam *Buxbaumius* delineavit. *Stellerus* hanc plantam talem, uti noſtra icone expreſſa eſt, in Camtſchatcae, inſularum adjacentium et Americae rupibus muſcoſis et ſterilibus turfaceis creſcentem, copioſe legit. In reliqua Sibiria obſervatam fuiſſe neſcio.

Convenit cum lapponica per omnes partes, ſed ſtirpes majores in Camtſchatca et ſtatura Empetri excreſcunt, a quo, antequam circa initium Julii floreſcit, diſcerni vix poteſt. *Stelleri* deſcriptionem parum mutatis verbis et ſpeciminibus auctam addo. *Radice* ſerpit arida, lignoſa, intus alba, foris cortice fuſco obducta, ac fibris capillaribus breviſſimis ſtipata. *Caules* humi ſpargit (vel ſuberigit), palmares et dodrantales, pariter lignoſos, cortice fuſco obductos, in *ramos* diviſos cicatricibus foliorum, inſtar abietinorum, ſcabros. Extremi ſaltem rami confertis veſtiti *foliis*, quae forma, magnitudine, ſitu ac conſiſtentia juniperina fere referunt; niſi quod obtuſa. E ſummo quorundam ramulorum prodeunt pedunculi 2, 3, 5, imo plures, filiformes, pubeſcentes, intenſe rubri, pollicares, e quibus *flores* ſinguli nutantes pendent. *(Perianthium* rubrum, profunde quinquefidum, pubeſcens, laciniis ſubulatis). *Corolla* urceolata, ſuaviter rubens, inflata, fauce coarctata in quinque laciniolas ſecta. *Stylus* purpuraſcens, apice extra corollam prominulus; *Stamina* (fere qualia praecedenti) decem *(Stellerus* octo habet) purpuraſcentia, *antheris* erectis, filamentorum fere longitudine fuſcis, muticis, apice ſubbifidis. *Pericarpium* quinqueloculare, ſubgloboſum, parvum, ſummitate dehiſcens, *ſemina* ſcobiformia ſpadicea fundens. *(Guſtu* planta ſubacris, ut etiam praecedentes). *Varietatem* recenſet *Stellerus* flore carneo et candido: hinc malui *taxifoliam* quam, cum *Linnaeo Acoeruleam* appellare.

ANDRO-

ANDROMEDA lycopodioides. TabLXXIII. fig. 1.

ANDROMEDA pedunculis ſolitariis lateralibus, floribus campanulatis octandris, foliis quadrifariam imbricatis.

Erica repens caulibus quadrangulis ſquamoſis, convallariae flore candido. *Steller. deſcr. L. plant. rar. in inſula Beringii obſervatarum MS.*

Erica foliis aceroſis glabris imbricatis, ſquamatim caules amplexantibus, corollis campanulatis nutantibus, antheris bicornibus. *Gmel. Flor. ſib. IV. p. 130. tab. 57. fig. 1.*

Hanc *Andromedae hypnoidis* lapponicae veluti ſororem, laudatiſſimus *Stellerus* in declivibus montium circa mare Ochotenſe, in Camtſchatca et inſula Beringii obſervavit. Integros caeſpites cirrhiformibus ſuis ramis et radicibus efficit. Floret circa finem Junii, ſemina ſub finem Auguſti ſpargit. Ad Ericas non magis pertinet, quam A. Bryanthus et affines, ſolo numero ſtaminum aberrans, quem variabilem in multis generibus arguit Natura.

Radices ſiccae, ſarmentoſae, filiformes, extus ſpadiceae, intus albae, ita ſibi invicem implexae, ut plantae intertextae disjungi nequeant. *Caules* repentes, hinc inde radicantes plurimi, filiformes, ſubramoſi, undique imbricati *foliis* ſquamiformibus, convexis, ſubacutis, quadrifariam diſpoſitis, margine ſubmembranaceis, confertis. *Pedunculi* in ramulis hinc inde laterales, erecti, plerumque bini vel ſolitarii, ex ala folii divaricati prodeuntes, velut perichaetio ſtipati ſquamula duplici gryſea, capillares, unifiori. *Flos* nutans: *Perianthium* purpuraſcens, profunde quinquefidum, laciniis ovatis concavis perſiſtens; *Corolla* majuſcula, alba, perfecte campanulata, limbo patentiuſculo, quinquefido, acuto. *Stamina* octo e fundo floris, *antheris* minutis, ovatis, biſetis, puniceis. *Stylus* albus, corolla brevior. *Pericarpium* ſubhaemiſphaericum, quinquevalve, deſuper dehiſcens; *ſemina* minutiſſima *(fig. 1. A)*.

ANDROMEDA hypnoides. TabLXXIII. fig. 2.

ANDROMEDA pedunculis ſolitariis terminalibus, corollis campanulatis, foliis confertis ſubulatis. *Lin. ſyſt. pl. II. p. 292. ſp. 2. Flor. Lapp. 165. tab. 1. fig. 3. Flor. dan. tab. 10.*

Roſſice appellari poteſt *Bolotnik mochoobraſnoi* (Болотникъ мохообразной).

A Lapponia roſſica per arcticam plagam usque ad Uralenſe jugum extenditur, unde ab amic. *Sujef* lectam accepi; ſed ulterius in Sibiria obſervata non eſt, neque a *Stellero* inter plantas Camtſchaticas recenſetur.

Differt a praecedente: *cauliculis* magis ſurrectis, minus elongatis; *foliis* longioribus, aciculatis; *pedunculis* terminalibus ſolitariis; *corollis* minoribus profundius inciſis, globoſioribus; *ſtaminibus* denis; *pericarpiis* majoribus, ſubpentagonis. *Iconem* comparationis gratia addidi.

ANDROMEDA ericoides. Tab LXXIII fig. 3.

ANDROMEDA pedunculis lateralibus, floribus globoſis octandris, foliis quadrifariam imbricatis ciliatis.

Erica flore albo, foliis brevibus anguſtis in caule quadrangulo ſquamatim ſibi incumbentibus. *Steller. Catal. plant. MS.*

Roſſice appellari poteſt *Bolotnik wereſkowoi* (Болотникъ вересковой).

Hanc ſpeciem, Andr. tetragonae elegantiſſimum apotypon, in rupibus ad fluvium Bjela, et circa Ochotenſem portum ad fl. Marecan, jam defloratam legit *Stellerus;* in Jugo alpino Dauuriae ſupra Nertſchae fontes legit Cel. *Laxmann* et ſtirpes pro hortis imperialibus transmiſit, ubi medio Maji anni 1785. floruerunt, ſed cito perierunt. Deſcriptionem et iconem e viva igitur planta trado.

Fruticulus palmaris vel pedalis, ericaeformis, virgatus, erectus, ramoſus, *trunculis* ligneis, *cortice* e fuſco-glauceſcente obductis. *Ramuli* juniores imbricati et quaſi tetragoni, *foliis* per paria oppoſitis, magis diſtantibus quam A. tetragonae, perennibus, extus convexis, ſulco exaratis, intus concavis, apice obtuſis, quae toto margine ciliata ſunt ſetulis ferrugineis vel rubentibus, verſus apicem longioribus (*fig. 3. A.* quae auctum lente ramulum exprimit). *Pedunculi* ex alis foliorum, verſus ramulorum apices, ſolitarii, cernui, breves, in ſingulo ramulo 2, 3, vix plures (*fig. 3. a.*), rariſſime bini ex eadem ala, (fructificantes elongati erecti). *Calyx* minutus, quadrifidus, ad pedunculum vireſcens, hinc albus, laciniis apice ferrugineis et aliquot pilis barbatis (*fig. c d.*). *Corolla* parva alba, globoſo-campanulata, truncata, limbi labiis ſeu laciniis breviſſimis quatuor, rotundatis, reflexis (*fig. a b c.*). *Stamina* 8, in fundo corollae erecta, eademque dimidio breviora (*fig. e.*), antheris flavis didymis, gemina ſeta bicornibus (*fig. f.*). *Germen* ſubgloboſum, viride, *ſtylus* ſtaminibus paulo longior, cylindricus, obtuſus (*fig. g.*). *Pericarpium* capſula parva, ovato-truncata, ferruginea, plerumque quadrivalvis, apice dehiſcens, calyce perſiſtente calyculata, ut congeneribus.

Andromedae octandrae (lycopodioides et *ericoides)*, una cum A. *Daboecii* arguunt inter Ericae et Andromedae genus vix dari limites.

ANDROMEDA tetragona. Tab LXXIII fig. 4.

ANDROMEDA pedunculis ſolitariis lateralibus, corollis campanulatis, foliis oppoſitis, obtuſis, imbricatis. *Lin. ſyſt. plant. II. p. 292. ſp. 1. Flor. lapp. 166. t. 1. fig. 4.*

Roſſice appellanda *Bolotnik tolſtoliſtwennoi* (Болотникъ толстолиственной).

Haec ſpecies in Sibiria omni a nullo hucusque Botanico obſervata eſt; *Gmelini* itaque ſynonymon, quod certiſſime ad praecedentem ſpeciem referri debet, expungendum eſt. In Lapponia Roſſica inquilina planta eſt.

Cum praecedenti *habitu* toto et multis ſtructurae momentis; forma praeſertim foliorum et ſitu pedunculorum convenit; differt autem quod humilior, *foliis* magis carinatis, *floribus* longius pedunculatis et plane diverſis, acute quinquefidis, decandris; *capſula* majore, quinqueloculari.

ANDRO-

ANDROMEDA Daboecii.

ANDROMEDA racemis ſecundis, floribus quadrifidis ovatis, foliis alternis, lanceolatis, revolutis. *Lin. ſyſt. plant. II. p. 294. ſp. 7.*

? Erica folio Juniperi, floribus purpureis oblongis. *Buxbaum pl. cent. IV. p. 25. 26. tab. 41. 42. Gmelin. Flor. ſib. IV. p. 120. 121. n. 6. 7.*

Meſſerſchmidii Herbarium, neſcio quo fato, plane diſtractum vel ſaltem me hucusque latet. Quales ergo plantas proprie ad Tunguſcam legerit, quorum *Buxbaumius* icones reliquit, pro certo affirmare non auſerim; ſumma tamen ex iconibus citatis, quas vix niſi vatietates unius ejusdemque ſpeciei exprimere autumo, ſimilitudo cum A. *Daboecii* hybernica, ſuadet hanc ipſam *Meſſerſchmidio* occurriſſe, licet eam reliquorum per Sibiriam peregrinantium Botanicorum oculos hucuſque fugiſſe certum eſt. *Andr. droſeroides* capenſis, etiam magis cum iconibus *Buxbaumianis* congruit. Anne forte *Buxbaumius* exoticas plantas pro Sibiricis tradiderit? an Ericam cineream? Non raro enim loca natalia confundit.

ANDROMEDA Bryanthus. Tab. LXXIV. fig. 1.

ANDROMEDA floribus corymboſis, foliis ellipticis, caule proſtrato. *Lin. ſyſt. plant. II. p. 293. ſp. 6.*

Bryanthus repens, ſerpilli folio, flore roſeo. *Steller. mantiſſ. L. plant. MS. Gmelin. Flor. ſib. IV. p. 133. tab. 57. fig. 3.*

Roſſice appellanda *Bolotnik ſtelajuſtſchii* (Болотникъ стѣлающїй).

Plantulam hanc elegantem, quam Bryanthi nomine ipſe *Stellerus* genere diſtinxit, primo circa Ochotenſem portum, in muſcoſis humilibusque, dein in Camtſchatca et denique in inſula Beringii obſervavit, tanquam unicum calvarium rupium decus, quas in hac inſula integris caeſpitibus, fere ſola cum Empetro et Muſco tegit. Ipſa *Stelleri* e Mſcpto paucis additis apponam, ne plagia *Gmelini*, multis *Florae Sibiricae* locis repetita, imitari conſcius reuſque fiam.

Radice et ramis gaudet lignoſis, foris fuſcis, intus albis, ſub turfa Empetri radicibus implexa, late et permultis ramis (flexuoſis), ut Serpyllum repit. *Foliola* in caule ac ramis conferta, alterna, rigida, craſſa, perennia, glabra, ſupra intenſe (vere et autumno flavo-viridia), ſubtus albide viridia, duas lineas longa, unam lata, utrinque obtuſe acuta et Serpylli folii ſimilia, (vix petiolata, ſupra ſulco exarata). *Flores* profert affatim in ſummitate ramulorum, et cum planta valde ramoſa ſit, ac rami denſe et mire ſibi implexi, integri caeſpites florent. (*Pedunculi* plerumque terminales, uno interdum alterove foliolo notati, pollicares, corymboſi, pauciflori, ſubpubeſcentes rubicundi. *Calyx* pubeſcens, ruberrimus, plerumque profunde quadrifidus, laciniis acutis totidem quot corollae). *Corolla* monopetala, campaniformis, patens, coloris amoene roſei, (plerumque) in quatuor, modo in 5 vel 6 lacinias aequales ultra dimidium ſecta. (*Stamina* totidem quot laciniae corollae, filamentis albis, antheris rubris, hinc ſulcatis.) E fundo floris aperti ſurgit ovarium (*germen*) ſphaericum, tuba (*ſtylo*) recta, albida, paululum ſupra lacinias erecta et in ſummitate nodulo (*ſtigmate*) albido inſtructa; quod, delapſo flore, ſub finem Julii, in calyce perſiſtente excreſcit in fructum (*capſulam*) ovato acutam (quadriconvexum et plerumque quadrivalvem), ſuperne Septembri dehiſcentem. *Semina* profert

profert minutiſſima, rotunda, ſpadicea. Flores plerumque bini imo 5, 6, 8, et 10 in corymbo. (Capſulam quinquevalvem *Stellerus* deſignat, ego in ſpeciminibus ſiccis vix non ubique quadrivalvem invenio).

Stellerus addit: *Bryanthus* eſt genus plantae fl. monopetalo hypocrateriformi et multifido, cujus infimam partem perfodit piſtillum, quod deinde abit in fructum globoſum in quinque loculamenta diviſum, ipſo calyce involutum, et apice quinquefariam dehiſcentem, plurimis minutiſſimis ſeminibus foetum. *Bryanthum* vocavi, i. e. florem muſci, quia inter muſcos planta creſcens ſola floret.

Icon noſtra inſignem partem ſtirpis, ad *A.* florem, ad *B.* vero capſulam, ſecundum ſicca ſpecimina exprimit.

ANDROMEDA Stelleriana. Tab.LXXIV. fig. 2.

ANDROMEDA floribus terminalibus ſubſeſſilibus, cernuis, foliis ellipticis confertis.

Bryanthus repens, ſerpylli folio anguſtiore flore albo. *Steller. mant. L. plant. MS.*

Roſſice dicenda *Bolotnik mochowwet* (Болотникъ моховцветъ).

Pulcherrimam hancce plantulam, licet in *Stelleri* herbario aſſervatam, *Gmelini* omnino neglexerunt, forſitan quod ipſe *Stellerus* eam negligentius deſcripſerat; en ejus verba et MSto. „Cum priore *(Bryantho)* occurrit. Modo creſcendi, loco et tempore florendi ita convenit, „ut antequam florentes viderim, vix a ſeinvicem diſcernere potuerim. *Flores* differunt, quod „multo majores ſint, dimidiam ſcilicet unciam in diametro lati, monopetali, albi, fundo aperto „in quinque profundas lacinias ultra duas tertias ſecti. *Stamina* cohaerent cum flore et fere „nulla ſunt, lacinias enim ita connectunt, ut iis vi averruncatis, flos pentapetalus evadat; „apices *(antherae)* lutei, intra ſingulas lacinias ſinguli eminent, et laciniis accreti illas termi„nant. *Calyx* floris ex octo ſquamis viridibus componitur. Neque calyx, neque flos decidunt, „ſed ambo marceſcunt. *Fructus* convenit cum antecedentis plantae fructu.„ Jam adumbrationem e ſpeciminibus ſiccis propriam addo, quam, licet ab his *Stelleri* in flore diſcordantem, omni cura exactam aſſero.

Cauliculi proſtrati, filiformes, inſtar Serpylli tenues, ramoſi, extremis ramulis folioſi. *Folia* per paria, et ut videtur quadrifariam conferta, fere ſeſſilia, oblongo-elliptica, obtuſiora quam praecedentis, patentiora et magis conferta. *Flos* in quibusdam ramulis folioſis terminalis, fere ſeſſilis, curvatura ipſius extremi ramuli cernuus. *Calyx* tetraphyllus vel pentaphyllus, vix baſi cohaerens, foliolis ovatis, concavis, margine coloratis. *Corolla* majuſcula, campanulata, patens, fere pentapetala vel tetrapetala, petalis vix baſi cohaerentibus, ovalibus, concavis. *Stamina* vix germinis longitudine, 8 vel 10, pro numero corollae et calycis; *antheris* parvis, didymis, biſetis. *Germen* ovatum, conice in ſtylum productum. *Capſula* pedunculo paulum elongato, erecta, majuſcula, ſubgloboſo-pentagona, ſtylo mucronata, quinquevalvis *(fig. B.)*. — Numerum calycis *Stellerus* forte, additis foliis florem cingentibus, auxit.

ERICA.

ERICA.

ERICA vulgaris.

ERICA antheris ariſtatis, corollis campanulatis ſubaequalibus, calycibus duplicatis, foliis oppoſitis ſagittatis. *Lin. ſyſt. plant. II. p. 168. ſp. 1. Flor. dan. tab. 677. Gmelin. Flor. ſib. IV. p. 129.*

Roſſis *Weresk* (Верескъ).

Livonis *Gahrſchi;* Eſthonis *Kammarik* vel *Kannarpik.* Fennis *Kanarwa.*

In Roſſiae temperatae et debellatarum provinciarum Livoniae, Eſthoniae, Lithuaniae ſterilibus ſiccioribus ubique frequentiſſima et vaſtiſſima paſſim ericeta conſtituens. Ultra Uralenſe jugum ſenſim deficit, vix in Iſetenſibus campis, rariſſimeque apparet, ulteriori Sibiriae plane deeſt.

Varietas albo florens praecipue frequens in regionibus argilla alba ſubſtratis, ubi etiam Verbaſcum Thapſus et Epilobium frequentius albo florent *(vid. Pall. itiner. I. p. 25. 43.).*

PHILADELPHUS.

PHILADELPHUS coronarius.

PHILADELPHUS foliis ſubdentatis. *Lin. ſyſt. pl. II. p. 473. ſp. 1. Du Hamel arb. II. p. 297. tab. 83. Kniphof. ectyp. cent. V. t. 65.*

Roſſice *Tſchubuſchnik, Puſtoryl* (Чюбушникъ, Пусторылъ).

Frutex indigenus Caucaſi in vaſtiſſimis fagetis et in rupeſtribus ſubalpinis humilioribus ad fluv. Didi Liachwi, circa rivuli Arapula oſtium, deinde ad Phaſin ſ. Rion fl. in diſtrictu Radſha, circa fl. Lochuni oſtium; In hortis harum regionum ignotus.

ROSAE.

ROSA canina.

ROSA germinibus ovatis pedunculisque glabris, caule petiolisque aculeis ſparſis (uncinatis). *Lin. ſyſt. pl. II. p. 530. ſp. 14. Du Roy hort. harb. II. p. 359. Flor. dan. tab. 555. Blakwell. icon. t. 8. Gmelin. Fl. ſibir. III. p. 177. n. 17.*

Roſſis (*) *Schipownik* (Шиповникъ); fructus *Schip* (Шипъ); Maloroſſis *Schipſchina* (Шипшина).

Lettice *Ehrkſch*, *Wikku drihzekle*; Eſthonis *Orjawits*; Fennis *Orjautuppura*. Permecis *Schupitſchi*. Morduanis *Vergaſyn-lengax*. Votjacis *Logges-pu*; Tſcheremiſſis *Tſchugar-ponda*; Oſtiacis *Neſch*; Waſſuganis *Antſchich*.

Tataris *Güll*, fructus *Jt-barun* (fr. caninus); Tauricis *Gulæf*; Teleutis *Tegenek*.

Georgianis *Eſkili*; Armenis *Wart*. Dugoris *Vagale*.

Mongolis *Nochoïn-chonſchir*; Calmuccis *Nochoïn-choſchun*, i. e. caninae baccae.

Tunguſis *Mó ara*; *Lamutis Itakri*; Coraecis *Pitſchkútſchan*.

Camtſchadalis *Kéhuſch*, *Kauhaſchù*; Ukinzis in Camtſchatea *Kehnidſchid*. Curilis *Mauni*, *Kópokon*, baccae *Sarankop*.

Vulgatiſſimus frutex in totius Roſſiae temperatioris et praeſertim auſtralioris dumetis elatis apricis, frequens etiam in Sibiria citeriore et in deſerto Kirgiſo-Tatarorum, frequens inter promontoria Caucaſi; ſed deeſt in maxime borealibus. Occurrit paſſim petalis albis florens.

Tatari virgulta et praeſertim radices Roſarum conciſas aquae incoquunt, loco theae; quod et Roſſorum quidam, praeſertim in Sibiria, imitantur et virtutem hujus potus cardiacam, exhilarantem laudant. Ad Volgam Roſſi e floribus roſarum fermentatione parant ſpiritum *(Schipovnaja vodka)*, quem cor roborare perhibent. In Ucrania etiam ſaccharo et melle condiuntur flores.

(*) Nomina gentilia hic allegata univerſa generica ſunt et pro omni Roſae ſylveſtri ſpecie aſſumuntur.

ROSA alpina.

ROSA germinibus ovatis glabris, pedunculis petiolisque hiſpidis, caule ſubinermi. *Lin. ſyſt. plant. II. p. 529. ſp. 13. Jacquin. Flor. auſtr. III. p. 177. n. 14.*

Roſſice *Schipovnik nagornyi* (Шиповникъ нагорный).

In apricis aeque ac ſylvoſis montium altaïcarum frequentiſſima, plane inermis, tota ibi inſolata montium latera, cum Rubo idaeo, obveſtiens; copioſiſſima etiam per reliquam Sibiriam ab Uralenſi jugo uſque in Dauuriam, et in planitiem apricam elatam Sibiriae excurrens, vulgaris in campis Iſetenſibus, ad Obum, Irtin et Jeniſeam, ubi magnos praeſertim et pulpoſos fructus profert; ſed in his omnibus regionibus plerumque variat, ramos magis minusve confertim hiſpida ſpinis capillaribus, patentibus, in antiquiore ligno detritis, quam etiam varietatem Cel. *Jacquin* obſervat. Adſcendit etiam in frigidiora alpina, ubi pumila, tenuiſſimis virgis, fronde tenera rara, foliolis paucioribus, pedunculis elongatis.

Frutex erectus, diffuſus, altitudine a ſeſquipedali ad quadripedalem varians, truncis fuſcis inermibus, *ramis* tenuibus, modo laevibus, modo undique ſpinoſo-hiſpidis, ſpinis ſetiformibus, gryſeis, inaequalibus, patentiſſimis, vel reclinatis. *Frondes* mediocres, in alpino et ſylvoſo loco majores et rariores, petiolis in ſicciore loco ſpinoſo-aſperatis, in udo ſolo laevibus paucifoliis. *Foliola* quina, ſena, vel novena, ovato-lanceolata, verſus apicem profundius ſerrata, ſubtus glauca; *variant* haec magnitudine et circumſcriptione, modo magis ovalia, modo lanceolata; itemque acuta vel retuſa et inciſa, crenata, ſaepe in eodem frutice. *Pedunculi* ex omnibus fere gemmis ramorum, aſperati, foliati. *Calycis* laciniae ſubaſperae, coloratae, margine tomentoſae, apice foliaceo producto lineari, praeſertim in macrophyllis. *Petala* intenſe roſea, baſi pallida, ſubemarginata. *Fructus* ſemper glabri, ruberrimi, inſigues et pulpoſi.

Varietatem legi in montibus altaïcis, foliolis quinis et ſeptenis, lanceolatis, argute ſerratis, terminalibus hinc inde bi- vel trilobis inciſis; ſpinis ſetaceis ſparſis, in ſummis ramis ſtipularibus; pedunculis glabris: quae forte ſpecie diſtincta, ſed e ſiccis ſpeciminibus determinare nunc nolim.

ROSA dauurica.

ROSA germinibus pedunculisque glabris, aculeis ſtipularibus, petiolis ſubvilloſis, foliolis ſemiſerratis.

Roſſis *Schipovnik ſakamennyi* (Шиповникъ закаменный).

In Dauuriae et Mongoliae transalpinae apricis et betuletis, cum Spirea chamaedrifolia, ubique copioſiſſima et ſimul florens Junio, a R. alpina diſtinctiſſima.

Frutex ſaepe quinquepedalis erectus, ramoſiſſimus, ramis tenuibus, rigidis, laevibus, cortice fuſco-teſtaceo obductis, ſpinis ad ramulorum origines et in annuis ramulis ad ortum foliorum geminis, patentiſſimis, ſubrecurvis, gryſeis. *Frondes* alternae, ſtipulis anguſtis ſerrulatis, petiolis pubeſcentibus, inermibus. *Foliola* ſeptena, ſubaequalia, ſubtus pubeſcentia, lanceolata, baſi integerrima, a medio verſus apicem ſenſim profundius ſerrata, quaedam fere *Spireae chamaedrifoliae* ſimilia, ſubretuſo-crenata, pleraque acuta. *Pedunculi* glabri ex omnibus ramulis, folio et oppoſita ſtipula involucrati; *calycis* laciniae margine tomentoſae, apice lineari foliaceo elongatae, petalis fere longiores. *Petala* ſaturate roſea, integra, magna. *Fructus* rubri, ovati (*).

(*) Plures in Sibiria dari Roſarum ſpecies, quam recenſui, fere affirmaverim: ſed inter itinera non facile determinantur, neque omnium florentia ſpecimina legi, vel fructus obſervavi. Autoptae poſthaec determinent hactenus neglectas, et *Gmelini* ſynonyma, mihi obſcura, comparent.

ROSA caucaſica.

ROSA caule inermi, germinibus pedunculisque glabris, pedunculis umbellatis aculeatis.

Roſſice *Schipovnik gorſkyi* (Шиповникъ горскый).

Perpulchrae hujus Roſae ſpecimen ficcum accepi, in ſylva montana ad Badſhikevi Georgiae lectum Julio, e quo ſpeciem utcunque deſcribam, quae mihi a cognitis omnibus diverſa videtur.

Caulis pars, in ſpecimine praeſens, inermis; *ramus* craſſus, laevis, rectiſſimus. *Frondes* magnae, ut in R. centifolia, quinato-pinnatae, vel cum acceſſorio pari inferius minore, ſummum ad flores ternatum; *petioli* aculeis 4. vel 5. recurvatis inſignibus; *ſtipula* pubeſcente, undique ſubtiliſſime ſerrata. *Foliola* magna ovato-rotundata, argutiſſime duplicato-ſerrata, ſubaequalia, terminale longe petiolatum. *Umbella* terminalis quinqueflora, involucrata, *bracteis* ovato-lanceolatis ſubdentatis, altera foliolifera. *Pedunculi* et *germina* magna, glabra: *calycis* foliola baſi lata, margine et intus tomentoſa, apice elongata in foliolum petalis longius, lineare, aliquot dentibus ſetaceis laciniatum. *Corollae* majuſculae, rubicundae fuiſſe videntur.

ROSA parvifolia.

ROSA germinibus pedunculisque hiſpidis, caule petiolisque ſpinoſiſſimis.

Roſſis *Bjeloi Schipovnik* (Шиповникъ бѣлой).

In dumetis alpinis Oſſetiae cum R. pimpinelloide hanc legit et pro Roſa 1106. *Halleri*, ſub nomine R. parvifoliae poſuit Cel. *Güldenſtaedt;* mihi adlata ſpecimina R. arvenſi *Florae Dan. t. 398.* omnino ſimillima videntur.

Frutex bipedalis, diffuſus. *Aculei* fuſceſcentes, in caule et ramis ſetacei, conferti, patentes, recti, in petiolis breviores minusque crebri. *Frondes* parvae, breves, *foliolis* ſeptenis et novenis, ovalibus, minutis, elegantiſſime circumſerratis; *ſtipula* longa, tenerrime ſerrulata. *Flores* in ſummitate ramorum, e gemmis lateralibus crebri ſolitarii. *Pedunculi* fronde breviores, incraſſati, hiſpidi. *Germina* (ut et *poma)* globoſa, hiſpida. *Calycis* laciniae pollicares, ovatae, acuminatae, rarius pinnulis auctae, plerumque integrae. *Corolla* alba, ſuaveolens.

ROSA pimpinellifolia. Tab. LXXV.

ROSA germinibus globoſis pedunculisque glabris, caule aculeis ſetaceis rectis, petiolis ſcabris, foliolis obtuſis. *Lin. ſyſt. pl. II. p. 526. ſp. 2.*

Roſſis *Schipovnik tſchernyi* (Шиповникъ черный).

Planta, quam deſcribo, quaeque in paucis ab Europaea, cujus nomen praepoſui, differt, copioſiſſime creſcit in elatis campis et montibus declivibus apricis a ſeptentrionali parte montium Altaicorum per Sibiriam et Songariam expanſis, loca herbida amans et ſolum pingue ſiccum. Eadem, europeae omnino ſimilis, frequens eſt in campis graminoſis apricis Novae Serviae et Novae Roſſiae.

Sibirica:

Sibirica: frutex elegantiſſimus ſeſquipedalis vel ad ſummum bipedalis, arbuſculiformis, *trunco* undique ſpinoſo, digiti minimi craſſitie, ramoſiſſimo, ramis in ovatam formam coarctatis. *Spinae* in trunco et ramis creberrimae, ſetaceae, transverſae vel reclinatae, gryſeae. *Rami* teſtaceo-rufeſcentes, alterne ramuloſi, ramulis crebro foliatis, pluribus apice floreſcentibus. *Frondes* inter omnes generis minimae, *petiolis* rubentibus, modo glabris, modo ſpinuloſo aſperatis; *ſtipulae* anguſtiſſimae, auriculis latioribus, externis, ſerratis; *foliola* plerumque ſeptena, interdum novena vel quina, minimi unguis magnitudine, ovalia, circumciſa, argute duplicato-ſerrata, rigidiuſcula, ſcabra, magis minusve retuſa, quibusdam fruticibus potius acuta. *Pedunculi* modo aſperi, modo laeves, folio ternato et ſimplici, uſque ad ipſum fere florem. *Germen* globoſum, glabrum. *Calyx* laciniis lineari-adtenuatis, margine tomentoſis, petalo brevioribus. *Petala* flaveſcenti-alba, ſubcordata. *Pomum* medio Julii jam maturum, globoſum, nigrum, ſiccum, inſipidum, calycis laciniis coronatum.

In Novo-Roſſica planta, tripedali: *aculei* robuſtiores, rariuſculi, ut in planta hortenſi, quam ſub oculis habeo. *Stipulae* longae, integrae, *petioli* ſpinuloſi. *Folia* ſeptena. *Pedunculi* hiſpidi; *calycis* laciniae rarius pinnatae. *Flores* albi. — At in hortenſi planta ſpinae majores et ſetaceae, intermixtae, foliola novena, infima minora; flores minores, quam iconis noſtrae, ſimiliter alba, calycis laciniis integris.

Not. Apud *du Roy hort. harb. II. p. 356. n. 12.* Roſae pimpinellifoliae deſcriptio minus in noſtram quadrat, quam Roſae ſpinoſiſſimae *p. 33. n. 2.* Priori flores pallide roſeos tribuit, huic albos.

ROSA villoſa.

ROSA germinibus globoſis pedunculisque hiſpidis, caule aculeis ſparſis, petiolis aculeatis, foliis tomentoſis. *Lin. ſyſt. pl. II. p. 527. ſp. 8. Du Roy hort. harb. II. p. 341. n. 3.*

Roſſice *Schipovnik moſchiſtyi* (Шиповникъ мошистый).

Coram habeo ſpecimina florentia, initio Julii in montanis ad Tſchuta lecta; datur etiam alibi paſſim in Caucaſo auſtraliore.

Rami ſpinis rectis ſtipularibus binis. *Petioli* pilis glanduliferis hirſuti, aliquot ſpinulis notati; *ſtipulae* ſerrulatae et glanduloſis pilis ciliatae; *foliola* quina, ſubretuſa, utrinque tomentoſa, duplicato-ſerrata et pilis glanduloſis fimbriata. *Pedunculi* et globoſa germina ſetis glanduliferis adſperſa. *Calycis* laciniae hirſutae, alternae, pinnatifidae, laciniatae, petala aequantes. *Petala* roſea, mediocris amplitudinis.

RUBI.

RUBUS idaeus.

RUBUS foliis quinque-pinnatis ternatisque, caule aculeato, petiolis canaliculatis. *Lin. ſyſt. plant. II. p. 532. ſp. 1. Du Roy hort. harb. II. p. 376. Du Hamel. arb. II. p. 332. n. 7. tab. 56. Blakwell. icon. t. 289.*

Roſſis *Malina* (Малина).

Lettice *Avenes*, *Aweeſchni*. Eſthnice *Waar-marjad*, *Warikud*; Fennis *Wapuka*. Permienſibus et Sirjaenis *Omytſch*; Tſcheremiſſis *Engeſch*, *Ipiw*; Morduanis *Inſæ*; Votjacis *Lyſemes*, *Ermen*; Tſchuvaſchis *Chamla-ſirli*; Oſtiacis *Entſchege*.

Tataris *Uptſchera*, *Umeſe*, *Kura-dſhilek*; Baſchkiris *Dſhilek*; Chivenſibus et Perſis *Bukurtlén*. Teleutis *Kuperei*.

Calmuccis *Jandigari*, *Ulan-Ukir*. Georgianis *Dſcholi*; Oſſis *Manarch*; Dugoris *Ninach*.

Tunguſis *Imiruka*. Camtſchadalis *Otſchkihyl*.

In ſylvis praeſertim montanis totius Roſſiae et Sibiriae auſtralis et temperatae copioſiſſimus frutex, paſſim magna ſpatia, praeſertim in alpinis Sibiriae auſtralioris promontoriis, denſo virgulto obtegens et plantas vix non omnes ſuffocans. Ultra Lenam quoque et in Camtſchatca a *Stellero* obſervata fuit, ſed plerumque ſine fructu, aut perexiguo et mutilo. *Varietas* baccis albis etiam ſpontanea circa Moſcuam occurrit. *Bacca* matureſcit Julio, frequentiſſima tunc eſca urſorum, qui inde quaſi ebrii redduntur, quod etiam homini a copioſiore eſu accidit. Non ſolum recentes, ſed etiam ſiccatae inter Roſſorum cupediis ſunt. Fit ex iis vini ſpecies (*Malinovka*) et hydromel. Copioſe etiam ſaccharo et melle condiuntur. Poſſent pro deſtillatione ſpiritus communis adhiberi cum multis aliis baccis noſtratibus.

Not. Hic videtur inſerenda Rubi ſpecies, quam *Stellerus* in Americano itinere, ad Promontorium S. Eliae fugitivo oculo obſervavit, et in *Catalogo plantarum ſub finem Julii in promontorio illo Americes ſub gradu latitud. 95. obſervatarum*, his verbis recenſet: RUBUS americanus erectus, non ſpinoſus, fructu rubro, ovato, maximo, perianthio tenuiſſime laciniato, coccineo. Addit: „In maxima copia ibi locorum occurrere; *fructus* proferre nuce moſchata „majores, ſuperne non perforatos, ovatos, ac procul dubio optimi ſaporis, nondum autem „omnimodo erant maturi. *Fruticem* eſſe tres quatuorve cubitos altum, foliis ſimilibus Rubi „idaei, perianthio pulchre ad oras laciniato ac ſuperiori ſuperficie intenſe coccineo.„ An Rubus canadenſis fuerit?

RUBUS fruticoſus.

RUBUS foliis ternatis, caule petiolisque aculeatis. *Lin. ſyſt. pl. II. p. 534. ſp. 7. Du Roy hort. harb. II. p. 372. Du Hamel. arb. II. p. 232. n. 1. tab. 55.*

Roſſis *Jeſhevika* (Ежевика).

Lettice *Kaſſenaji*, *Kaſaohges;* Fennis *Koiran-Wapuku;* Eſthonis *Poeld-* vel *Kitſe-marjad* (Baccae campeſtres vel caprinae); Tſcheremiſſis *Tſchem-Egefeh.*

Tataris *Kupanos;* Baſchkiris *Karagàt;* Kirgiſis *Karà-Bildurgan;* Tauricis *Birjulgèn.*

Calmuccis *Ukir-charà-büldſhirgenæ.*

Armenis *Maſch;* Georgianis *Makvali.* Dugoris *Sadara.*

In temperatis et auſtralioribus Roſſiae ripis et dumetis, et per Kirgiſiorum deſerta, ut et in Livonia paſſim vulgaris, ſed magis localis praecedente, nec ſylvorum ſubalpeſtrium amans. *Fructus* minus aeſtimantur, ad Volgam inferiorem frequentiores.

Apud nos folia plerumque ternata. *Variat* caeterum ſecundum clima et ſolum: In Perſia *Gmelinus* obſervaverat *Varietatem*, cujus ſpecimina habeo, toto caule, cum aculeis, petiolis, foliorum pagina inferiore, pedunculis et calycibus continuo tomento albo obductam, roſeo florentem, foliisque ſubrotundis, vix acuminatis, inaequaliter ſerratis diverſam, quae tamen Aſtrachaniae in horto vulgaris fere habitum induebat, et flores albicantes proferebat. Eadem in Perſia paſſim tomentum exuit, praeſertim adultior, cum fructum maturat.

RUBUS caeſius.

RUBUS foliis ternatis ſubnudis, lateralibus bilobis, caule ſpinuloſo tereti. *Lin. ſyſt. pl. II. p. 534. ſp. 6. Du Roy hort. harb. II. p. 375.*

Roſſis *Komonika* (Комоника); ad Volgam *Biruſà* (Бируза̀).

In auſtralioribus Roſſiae ad Volgam, Tanaïn et Dynaprin dumetis riparum intermixta occurrit; dicitur etiam circa Moſcuam creſcere, et in campis Barabenſibus obſervavit *Falk;* mihi in Sibiria non oblatus eſt.

RUBUS ſaxatilis.

RUBUS foliis ternatis nudis, flagellis reptantibus herbaceis. *Lin. ſyſt. pl. II. p. 536. ſp. 12. Flor. dan. t. 134.*

Roſſis *Koſtæniza* (Костяница) i. e. oſſiculoſa bacca.

Fennis *Lilúka;* Eſthonis *Lillákad*, *Limmokad;* Permienſibus *Selaoeſch*, i. e. bacca Bonaſiae; Morduanis *Eida-lopat.* Oſtiacis *Kuſkatſchuk.*

Tataris *Kuſergil*, *Tſchertak;* Baſchkiris *Burlugòn;* Kirgiſis *Kiſil-Bildurgàn.*

Calmuccis *Sadagandà*, *Mórin-Byldſhirgandà.*

In ſylvis glareoſis et montanis totius Roſſiae, etiam maxime auſtralis, frequens, neque per Sibiriam etiam orientaliorem deeſt; ſed maxime ſeptentrionale clima reſpuit et ſicciore ſolo delectatur. *Baccae*, magnis acinis ſcatentes, copioſe tamen eduntur et ſacharo vel melle condiuntur.

RUBUS Chamaemorus.

RUBUS foliis ſimplicibus lobatis, caule inermi unifloro. *Lin. ſyſt. pl. II. p. 536. ſp. 14. Flor. lappon. 208. tab. 5. fig. 1. Flor. dan. t. 1.*

Roſſis *Moroſchka* (Морошка).

Lettonice *Lahzenes;* Eſthonis *Murra-kad;* circa Revaliam *Kaarlad;* circa Dorpat *Kæbbarad.* Fennis *Muran.* Permienſibus *Myrpan;* Oſtiacis Obenſibus *Palgo;* Waſſuganis *Moroch.*

Tataris *Marak*, *Murak.*

Samojedis *Mórenga;* Tunguſis *Morónga.* Lamutis *Tſchikmat.*

Coraecis *Jettyet;* Camtſchadalis *Schije.* Curilis *Apnimenip.*

In uliginoſis ſeptentrionalibus Roſſiae et Sibiriae frequentiſſima, verſus mare glaciale integros tractus, promontoria et inſulas maxime boreales, v. gr. Kanin-nos, Nova Zemlja, Promontoria Obenſia, cet. fronde ſua obumbrans et copioſis baccis, Julio et Auguſto matureſcentibus, et in arcticis terris magnitudine et guſtu praecipuis, copioſum pabulum avibus, et egregium cibum antiſcorbuticum homini praebens. *Fructus* apud Archangelopolitanos magna copia in doliolis probe clauſis ſuperfuſa aqua condiuntur et ſic paratae diu durant, imo pro antiſcorbutico uſu in claſſe navali et domeſtico, copioſe Petropolin transvehuntur. Abundat etiam in Camtſchatca et Inſulis verſus Americam ſitis.

RUBUS arcticus.

RUBUS foliis ternatis, caule inermi, unifloro. *Lin. ſyſt. pl. II. p. 536. ſp. 13. Flor. lapp. 207. tab. 5. fig. 2. Flor. Dan. tab. 488. Buxbaum. plant. centur. V. p. 13, 26. Amman. ruthen.*

Roſſis *Knæſheniza* (Княженица) i. e. Principalis bacca.
Permienſibus *Namur.* Tataris *Kuſtiſchi.*

Elegans et ſapidiſſimo fructu inſignis planta in borealibus et praeſertim alpeſtribus Roſſiae et Sibiriae uſque in Camtſchatcam et inſulas orientalis Oceani creſcit, minus vero abundat quam praecedens, et ſporadica occurrit. Minus quoque ad arcton extenditur, quam Chamaemorus, nec ad oram maris glacialis pertingit. *Fructus* egregius praeſertim crudus comeditur. Vinum in Sibiria orientali parant amphoram ſucci baccarum, cum hydromelle cito fermentato, coquendo, iterumque fermentando; quod clarificatum in lagenis bene obturatis ultra annum durat.

PUNICA.

PUNICA Granatus.

PUNICA foliis lanceolatis, caule arboreo. *Lin. ſyſt. pl. II. p. 480. ſp. 1. Blakwell. icon. tab. 97. 145. Du Hamel. arb. II. p. 193. tab. 44. Hablizl. deſcr. taur. p. 77.*

Roſſis *Granatnik*, *Granadi*, et *Gratoſchnoe derevo* (Гранатникъ, Гранади, Гратошное дерево).
Tataris *Nar;* Perſis *Narinſche.*
Georgianis *Bradſeuli.*

In auſtralibus Caucaſi, per Georgiam, paſſim rupeſtribus locis ſpontanea. Hortenſis paſſim etiam ad Terec fluvium et copioſe in maritimis Cherſoneſi tauricae inter Baluclava et Jalta, ubi translatitia e ſylvis Natoliae, ideoque acida et parva poma proferens. Copioſa in ſylvis Perſiae, ubi cortex fructus ad coria nigro tingenda adhibetur.

HEDERA.

HEDERA Helix.

HEDERA foliis ſimplicibus ovatis, lobatisque. *Lin. ſyſt. plant. I p. 568. ſp. 1. Du Roy hort. harb. I. p. 300. Du Hamel. arb. I. p. 289. t. 150. Blakwell. ic. t. 188. Hablizl. deſcr. cherſon. taur. p. 110.*

Roſſis *Bljuſtſch*, *Pljuſtſch* (Блющъ, Плющъ). Aſtrachanenſibus *Smjeowník* (Змѣовникъ).

In nemoribus maritimis orae meridionalis Tauricae paſſim arborum antiquorum truncos obveſtit. In Novae Roſſia quoque ſylvis dicitur dari. At in reliquo Imperio et in omni Sibiria deeſt, neque hyemes Roſſicas, niſi maxime auſtralium, ſub aprico perfert. Maxima Hederae, praeſertim integrifoliae, copia in ſylvis Perſiae mari Caſpio adjacentis, ubi copioſe floret.

PERIPLOCA.

PERIPLOCA graeca.

PERIPLOCA floribus interne hirſutis, terminalibus. *Lin. ſyſt. plant. I. p. 603. ſp. 1. Du Roy hort. harb. II. p. 1. Du Hamel. arb. II. p. 103. t. 21.*

Roſſis *Obwoina*, *Powoinik* (Обьвойна, Повойникъ); ad Terec fl. *Shidowník* (Жидовникъ).

Tataris *Sac-modon.*

In nemoroſis ad fl. Cuma atque Terec et paſſim per convalles Caucaſi, arbores ſcandens et volubili ligneo caule conſtringens, occurrit. Forte etiam in Cherſoneſo taurica. *Lignum* recens odore ſubviroſo, amygdalino; tenaciſſimum ad ſtapedes nomadum, aliosque uſus domeſticos adhibetur.

ATRAGENE.

ATRAGENE alpina. Tab. LXXVI.

ATRAGENE foliis duplicato ternatis, petalis exterioribus quaternis.

Lin. ſyſt. plant. II. p. 640. ſp. 1. Gmel. Flor. ſib. IV. p. 194.

Roſſice appellari poteſt *Wjetwina* (Вѣтвина).

In ſaxoſis, Cama praeſertim auſtralioribus, Uralenſis jugi, et hinc ſecundum alpeſtrem catenam Sibiriae, uſque ad orientalem fere Oceanum, vulgaris ſuffrutex, inter arbuſta ſylvarum, ulnari imo biulnari quandoque altitudine excreſcens; Junio floribus ſuperbit, ſeroque autumno copioſis ſeminiferis capitulis pennatis oculos allicit.

Vimina infra calami ad ſummum craſſitie, ſupra culmi triticei, gryſea, ſubramoſa, debilia, quae, niſi arbuſtis implicentur, procumbunt; nodoſa, internodiis flexuoſis, quadripollicaribus. *Folia* ex omnibus nodis annuis utrinque bina, cum intermedio plerumque flore, inter aliquot ſquamas membranaceas prodeunt, in herbaceis ramulis oppoſita, patentiſſima, longe petiolata, biternata, ſubpubeſcentia: *Foliola* lanceolata, acuminata, profunde ſerrata, in noſtrati planta ſaepe terna baſi ſubcoalita, vel laterali hinc inde foliolo eliſo imperfecta. *Pedunculus* foliis longior, rectus, proxime ad florem cernuum inflexus, pubeſcens. *Petala* quatuor interiora (ceu calyx) magna, alba, patentia, oblongo-lanceolata, extus tenuiſſime pubeſcentia, interiora circiter quatuordecim, quorum quatuor lineari-ſpathulata *(fig. A. B.)*, circa ſtamina erecta, alba, vix ſtaminibus longiora. *Stamina* circiter viginti, filamentis membranaceis dilatatis, albis. *Germina* ultra 50. *ſtylo* albo villoſo terminata, ſtaminibus breviora; excreſcunt haec, poſt petalorum et ſtaminum lapſum, in ſemina gryſea, elongata, in ſetam ſeſquipollicarem, villis longis, albidis, ſericeis tenerrime plumoſam.

Planta auſtriaca, quam Cel. *Jacquin* miſit *(Flor. auſtr. III. p. 241.)* ab Atragene noſtra differt foliis latioribus, groſſius ſerratis, petalis externis lanceolato-acuminatis coeruleis; ſimillima caeterum ſtructura et ſtatura. Noſtra in hortis Moſcuae et Petropoli nihil mutata floruit; vix tamen magis diſtinguenda videtur ab iſta, quam Trollius aſiaticus ab europaeo, vel Aquilegiae grandiflora varietas ſibirica, a vulgari.

Icon noſtra ramum plantae, ad *A.* ſtructuram floris, et ad *C.* capitulum ſeminibus plumoſis maturis obſitum proponit.

ATRAGENE ochotenſis.

ATRAGENE foliis triternatis, petalis exterioribus ſex, interioribus linearibus.

Roſſis *Wjetwina ochozkaja* (Вѣтвина охотская).

Plantam ex unico ſpecimine ſicco aliis curatius obſervandam trado, quam forte alio tempore icone illuſtrabo. Specimen, quod habeo, circa Ochozk lectum fuit, et in *Stelleri catalogo plantarum* de hac ſpecie, quam nomine: Clematidis repentis coeruleae et purpureae recenſuit, nihil invenio, niſi quod ad rivos Tata et ad Marecanum, uſque verſus mare Ochotenſe creſcat.

Folia oppoſita, cum intermedio flore, e gemma ſquamis acuminatis villoſis imbricata prodeunt: patentiſſima, biternata. *Foliola* diſtinctiſſima, ovata, ſerrata, minus profunde inciſa, nec acuminata, glabra. *Pedunculus* rectus, foliis paulo longior, flore parum nutante. *Petala* externa ſex, breviora, quam in praecedente, ovato-oblonga, patentia, tenerrime pubeſcentia: *interiora* plura, breviora, lineari-acuminata, ſubpubeſcentia. *Germina* cum ſtylis albo-villoſiſſimis, conferta, multo copioſiora, quam in priore.

PALLASIA.

PALLASIA Pterococcus. Tab. LXXVII. LXXVIII.

PALLASIA caſpica. *Lin. ſupplem. plant. p. 37. gen. 1395. p. 252.*

Pterococcus aphyllus. *Pallas. itin. vol. II. p. 738. n. 109. tab. S. vol. III. p. 536.*

Roſſis Aſtrachaniae *Kiſlez* (Кислецъ).
Calmuccis *Torlok*. Kirgiſo-Tataris *Djurgùn* vel *Jurgun*.

Singularis frutex, magna copia proveniens in aridis arenis *Naryn* (Calmuccice) ſeu *Rynpeſki* Roſſice dictis, inter Volgam et Rhymnum medio deſerto verſus mare Caſpium extenſis, ubi clivos integros paſſim obveſtit, ad humanam altitudinem excreſcens, radicibus ſaepe plus quam orgyalibus uſque ad ſcaturiginoſa arenae ſtrata deſcendens. Abundat etiam in collibus ſabuloſis infra Samian-gorodok ſecundum Volgam ſitis, et verſus Aſtrachaniam paſſim, itemque in inſula quadam arenoſa Volgae fortalitio Tſcernojarſk oppoſita, et ad oſtia Cumae arenis prope mare Caſpium obruta. In deſertis Tatariae magnae paſſim occurrit, imo uſque ad Songariam extendi prodidit *Falk (itin. II. p. 198)*.

Radicis ſenioris hyeme effoſſae truncus, transverſim ſectus, in taleolorum ſuperficie exſudat gelatina copioſa, gummi Tragacanthae aemula, et ſimile gummi copioſius e raſura radicis emulſione elicitur, itidem uti Tragacantha tumeſcens, primum hyalino-pallens, admixta calida aqua luteſcens, ſubdulce, aegre ſiccandum, brevique fermentans. Truncus, ut et rami antiquiores, hinc inde tubera generant, e quibus Nomades fiſtulas tabacarias et cochlearia exſculpunt. *Ligni* fumum iidem oculis inflammatis conducere perhibent. Floret Majo uſque ad Junii initium, ſecunda quoque vice, paucis floribus autumno. Fructus adhuc viridis ſucculentus, acidulo et pomorum aemulo ſapore ſitim manducantium exſtinguens. Maturi decidunt Julio. In arena profundius ſatae nuces ſatis cito germinant, et folia duo ſeminalia quaſi elatere quodam una nocte citiſſime erumpunt, fere pollicaria, filiformia, citoque eriguntur. Dehinc junci alterne protruduntur, citoque adoleſcunt ſine foliis; fruticuli jam ſecundo anno primos flores, ſed ſolitarios vel geminatos et paucos promunt.

Frutex adultus tri- vel quadripedalis. *Radix* craſſitie fere carpi, rubens, funibus paucis orgyalibus, immo biorgyalibus, in profundum deſcendens, in humidioribus arenis magis ſuperficialis. *Truncus* contortus, brevis, inconditus, ſtatim in ramos ſubdiviſus, tenui libro nigricante corticatus, *ligno (tab. C. 22)* rufeſcente-gryſeo, valde poroſo, fragili, ſed duriſſimo. *Rami* primarii craſſitie digiti, erecti, dichotomo-ſubdiviſi, nodoſo-articulati, cortice aequali, pallide gryſeo, ſtriato obducti. *Junci* annui herbacei, e quibus rami fiunt, primo vere velut e vaginis tenuiſſime membranaceis propullulant, laete virides, graciles, articulati, et in nodis fragiles, dichotomi, hinc inde ſeta, quaſi foliolo, notati, ex articulis floreſcentes. Internodia horum rectiſſima, longa, filiformia, apice craſſiora et limbo tenui, ſublabiato coronata, quo ſuperiora recipiuntur ab inferioribus. Horum praecociores firmantur in ramos ligneſcentes, teneriores hyeme decidunt. *Flores* copioſiſſimi etiam e ramulis ligneſcentibus, ex eodem articulo plures, cernui, pedunculo e vaginula membranacea prodeuntes, ante floreſcentiam trigono-globuloſi, nervo petalorum exteriorum viridi. *Corolla* alba, pentapetala, *petalis* perſiſtentibus, concavis,

concavis, patentibus, duobus interioribus paulo majoribus. *Stamina* 15. plerumque 17. rarius 12 vel 13. *antheris* globoſo-didymis, kermeſini pulcherrimi coloris, maturiores polline flavae. *Germen* viride, conicum, quadrangulare, *ſtylis* plerumque tribus, raro binis vel quaternis, recurvis, albis, *ſtigmate* capitatis. *Fructus* nux oblonga, tetraëdra, carinis in tenuem criſtam productis, cui adnata ala orbiculata vel ſubovalis, membranacea, a diſco verſus marginem ſtriata atque ſubundulata, apice bifida, circum oram denticulata et fiſſilis. Alae quatuor circa nucem undique connivent, ante maturitatem pallide vireſcentes, dehinc palleſcentes, oris purpuraſcentibus, ſiccae, denique ruſo-teſtacei ſeu cinnamomei coloris, tumque ſitu quaſi contortae apparent. *Nucleus* oblongus, tetraëdrus, inter angulos profunde exſculptus, corculo centrali, per apicem nucis erumpente.

Polygonoides Ephedrae facie, quod *Tournefortius (Voyage au Levant vol. II. p. 147. icon.)* in declivitate montis Ararat legit, mihi cum Pterococco omnino convenire videtur, niſi quod alae fructus forte detritae fuerint. Cel. tamen *Schreber* in litteris aſſeverat, diverſam eſſe, licet ejusdem generis ſpeciem, pro qua Illuſtriſſ. *Linnaeus* quondam alienam plane plantam, nomine *Calligoni polygonoidis (Syſt. plant. p. 612.)* deſcripſit. — Affines Pterococco plantae etiam videntur: Polygonum juncoides ſcoparium ex inſulis fortunatis *Plukenet. phytogr. tab. 311. fig. 3.* et Polygonum fruticoſum aphyllon corniculatum minus *Barrelier. icon. 1034.*

Iconum noſtrarum altera *(Tab. LXXVII)* varietatem fruticis patulam, vel ſubproſtratam, quae paſſim occurrit, cum floribus, ſimul ramulos cum fructu immaturo vireſcente, et adultiore colorato, exhibet. *Altera (Tab. LXXVIII)* varietatem erectam proceram, ramulum nodis deformatum, fructum maturum et diſſectum, et floris ſtructuram refert.

TAMARI-

TAMARICES.

TAMARIX pentandra. Tab. LXXIX.

TAMARIX floribus pentandris. *Lin. ſyſt. pl. I. p. 739. ſp. 1. Du Hamel. arb. II. p. 300. tab. 85. Blakwell. icon. t. 331. fig. 2. Gmelin. Flor. ſib. IV. p. 116.*

Roſſis *Grebenſchik* (Гребеншикъ); ad Aſtrachaniam *Shidowinnik* (Жидовинникъ).

Tataris *Jylgan;* Nogaïs *Dſchylgun;* Tauricis *Jilgin;* Bocharis *Tſcholgan;* Chivenſibus *Dungu;* Kirgiſo-Tataris *Dſhangul.*

Calmuccis *Sochor*, *Jelgai.*

Ad Terec, Volgam, Rhymnum, aliosque Tatariae magnae rivos et fluvios, itemque ad auſtrales rivos Cherſoneſi tauricae, ripas et inſulas paſſim, praeſertim ubi ſolum ſalſuginoſum amoeniſſime exornat, modo fruticeti inſtar, modo arbuſculis plurium orgyarum altitudine, pulcherrime in Cupreſſi formam pyramidatis. Ad ſinus quoque maris Caſpii arenoſos paſſim frequens. Ad Irtin et in Barabenſi deſerto raris virgultis circa lacus ſalſos occurrit, in magis orientalibus plane deficit. Copioſe floreſcit a medio Maji ad Junium, denuoque rarioribus ſpicis Auguſto, quum ſeminales capſulae jam matureſcunt.

Decoctum virgulti Tamaricis noſtrates et Nomades membris adponunt rheumatico vel arthritico dolore affectis, itemque contuſis, et contra internas quoque laeſiones bibunt. Lignum, ob duritiem, ad manubria ſcuticarum cet. adhibetur.

Radix ramoſa, duriſſima. *Truncus* rectus, craſſitie ſaepe carpi, ab imo ramoſiſſimus, virgatus. *Lignum (Tab. C. fig. 12.)* durum, ſpongioſum tamen, fragile, alburno flaveſcente, intus gryſeum, rufo-faſciatum; *cortex* teſtaceus, extus gryſeus. *Rami* juniores herbacei, tenues, laete virides, laxe imbricati, foliolis minimis, acutis, alternis. *Spicae* in ſummis ramulis terminales, copioſae, paniculatae, rectae, filiformes, floribus confertis foliolo ſtipatis. *Flores* ſubpedunculati, globuloſi, roſeo-rubentes, fere adſpectu Ericae. *Perianthium* perſiſtens, campanulatum, quinquefidum, laciniis obtuſis, erectis, apice coloratis, corolla triplo brevioribus. *Corolla* globoſo-campanulata, pentapetala, petalis ovatis. *Filamenta* 5. thalamo inſerta, filiformia, erecta, patentia, corolla duplo longiora. *Germen* conicum, longitudine corollae; *ſtigma* ſeſſile trifidum, laciniis dilatatis, patentibus, pubeſcentibus. *Capſula* ſubulata, trivalvis, tota ab apice dehiſcens, ſeminibus minutis, pappoſis referta. *Odor* plantae et florum vix ullus; *ſapor* ſubadſtringens.

Varietas ſingularis in maxime ſalitis et aridis deſerti caſpici, circa tractum arenoſum Naryn et ad Uſen fluviolum occurrit, altitudine orgyali fruticans, tota etiam virgis tomentoſo-canis ramentoſis, ramulis herbaceis craſſioribus, tomentoſis, foliolis longioribus incanis, denſe imbricatis, et omnibus partibus confertior et craſſior. *Spicae* tamen et flores ſimillima. Hanc praeſertim elegantiſſimam varietatem icone *Tab. LXXIX.* expreſſi, vulgaris arboris tantum ramulum ad *A.*, florem ad *B.*, primordium capſulae poſt defloreſcentiam ad *C.* et ſummitatem ramuli cum foliis ad *D.*

TAMARIX

TAMARIX germanica. Tab. LXXX.

TAMARIX floribus decandris, (bracteis flore longioribus). *Lin. ſyſt. plant. I. p. 740 ſp. 2. Du Roy hort. harb. II. p. 446. Flor. dan. tab. 234. Blakwell. ic. t. 331. Pall. itin. III. app. p. 719. n. 73. tab. F. fig. 2.*

Roſſis et Mongolis in Dauuria *Balgù.*

In ripis glareoſis torrentium Dauuriae alpeſtris, Montium altaïcarum et Caucaſi, inter ſaliceta, in arbuſculam ſaepe aliquot orgyarum excreſcit; ad Maris caſpii littora, a parte Perſica, in media arena herbaceam varietatem *(B.)* craſſa radice quaſi caeſpitantem, caulesque annuos, plus minus cubitales erigentem, obſervavit *S. G. Gmelinus.* In montibus Uralenſibus nuſquam occurrit. Mongoli Dauuriae ramos herbaceos pro thea coquunt et a Tibetanis ſacrificulis lignum fruticis in medicina adhibetur.

Arbuſtum aliquot ſaepe orgyarum, ſtatura tota Tamaricis gallicae. *Truncus* craſſitie brachii, *cortice* gryſeo, *ligno* fragili cineraſcente. *Rami* ſtrictim erecti, longiſſimi, annui virgati, ramulis crebris alternis, pallidi vel rubicundi, extremo apice floridi. *Foliola* creberrima, linearia, plana, mollia, vireſcente-glauca, in antiquioribus ramis in ſtipulas ſeu ſquamas membranaceas degenerantia. *Racemi* florum terminales, ſimplices vel compoſiti, *bracteis* ad flores ſtipuliformibus, majuſculis, margine ſubcoloratis, magis minusve confertis imbricati. *Perianthium* pentaphyllum, laciniis oblongis, erectiuſculis, perſiſtentibus. *Petala* quinque purpuraſcentia, oblonga, obtuſa, reflexo-patentia. *Filamenta* decem, baſi in membranulam germen ambientem connata, quae dein, excreſcente capſula, in ſquamas quinque quadratas, duobus ſingula filamentis inſtructas dehiſcunt. *Germen* trigonum, ſtigmate capitatum *Pericarpium* (ut omnes partes) majus quam in T. gallica, conico-ſubulatum, trivalve; *ſemina* ad 30. pappo multoties longiore plumoſa.

In icone noſtra *(Tab. LXXX.)* ad *A.* ramus arboreſcentis ſtirpis, ad *B.* varietas caſpica ſubherbacea, ad *C.* flos exprimitur.

SALICES.

SALIX caſpica.

SALIX foliis lineari-lanceolatis integerrimis glabris.

Roſſis *Talnik tonkoliſtwennoi*, (Талникъ тонколиствeнной).

In arenis inter auſtralem Volgam et Rhymnum verſusque Mare Caſpium, itemque ad Sarpa et Cuma fluvios, locis aquoſis et ſcaturiginoſis frequentiſſima, verſus ſeptentrionaliora non extenditur.

Virgultum tenue, virgatum, ſaepius humanae altitudinis; rarius orgyam excedens. *Virgae* graciles, lentae, flavae, glaberrimae, nitentes. *Folia* ſtricta, absque ſtipulis, anguſtiſſime linearilanceolata, acutiſſima, integra, ſubtus glauceſcentia. *Amenta* maſcula non vidi. *Feminea* infra folia nuda, pollice vix longiora, glumis minus confertis obſita, erecta; *pappus* tenerrimus, non valde prolixus. A ſequenti, amentis et foliorum glabritie, ut et virgulti colore diſtinctiſſima; foliis etiam longioribus. Tenuitate flagellorum S. babylonicam fere aemulatur.

SALIX roſmarinifolia.

SALIX foliis integerrimis lanceolato-linearibus ſtrictis ſeſſilibus, ſubtus tomentoſis. *Lin. ſyſt. pl. IV. p. 232. ſp. 27. Haller helv. II. n. 1644. Kraſcheninikof. Fl. ingr. p. 158.*

Roſſis *Seroi Talnik* (Сѣрой Талникъ).

In aquoſis circa Volgam, Tanaïn et forte alios auſtralioris Roſſiae fluvios, itemque circa Caſaniam paſſim obſervata. *Vimina* fuſca; *folia* tomento cineraſcentia.

SALIX arenaria.

SALIX foliis integerrimis, ovato-lanceolatis acutis, ſupra ſubvilloſis, ſubtus tomentoſis. *Lin. ſyſt. plant. IV. p. 231. ſp. 13. Flor. lapp. n. 362. tab. 8. fig. o. q. Du Roy hort. harb. II. p. 408.*

Roſſice *Bjeloi Talnik* (Бѣлой Талникъ).

In arenoſis circa Tanaïn et per reliquam Roſſiam temperatiorem paſſim obſervatur, foliis plerumque perfecte lanceolatis.

Amenta maſcula, aeque ac foeminea, ovata, e gemma foliata creberrima: maſcula villoſiſſima, floſculis diandris; foeminea ſubvilloſa, glumis ſtigmate fuſco terminatis.

SALIX monandra.

SALIX monandra, foliis ſubſerratis glabris lineari-lanceolatis, ſuperioribus obliquis. *Hofmann. ſal. I. n. 1. tab. 1. fig. 1. 2. tab. 5. fig. 1. Haller helv. II. n. 1640. Lin. ſyſt. pl. IV. p. 226. ſp. 11. et 12.*

Roſſice *Sheltolosnik* (Желтолозникъ).

Ad Volgam auſtraliorem non infrequens, forſan et in reliqua Roſſia auſtraliore.

Vimina plerumque intenſe lutea; folia acutiſſima, extremo tantum ſerrulata.

SALIX incubacea.

SALIX foliis integerrimis lanceolatis, ſubtus villoſis nitidis. *Lin. ſyſt. pl. IV. p. 231. ſp. 24.*

Roſſice *Maloi Talnik* (малой Талникъ).

Salices minores in genere Roſſis *Talnik* (Талникъ); Tataris *Tall.* Eſthonis *Hannapajo.* Permienſibus et Siraenis *Bad* vel *Bag;* Vogulis *Njörſi*, ad Tſchuſſovajam *Tip;* Oſtiacis *Sachal* vel *Sagal.* Samojedis ad Petſchoram *Nerka;* Obenſibus *Nero;* ad Jeniſeam *Niggi;* Tomenſibus *Tjæba;* ad Ket fl. *Njaerch;* Arinzis et affinibus *Doligit.* Mongolis *Azola.* Tunguſis *Schekta;* Lamutis *Set.* Curilis *Suſu.* Coraecis *Jai.* Camtſchadalis *Tſchetſchim.*

In Roſſiae etiam borealis paſcuis udis, ut et in campis Sibiriae Iſetenſibus, Iſchimenſibus et Barabenſibus frequens, vix ulnarem altiſudinem aequans. Pygmaea in Ingriae paludibus abundat.

Salix foliis ex elliptico lanceolatis, integris, ſubtus ſericeis, amentis longis et tenuibus. *Gmel. Flor. ſib. I. p. 162. n. 17.* mihi, ex ſpecimine Herbarii Gmeliniani, a S. incubacea haud differre viſa eſt.

SALIX cinerea.

SALIX foliis ſubſerratis oblongo-ovatis, ſubtus ſubvilloſis. *Lin. ſyſt. pl. IV. p. 234. ſp. 30. Fl. lapp. n. 358.*

Maloroſſis *Loſa* (Лоза). Roſſice *Sivoi Talnik* (сивой Талникъ).

Circa Moſcuam et in reliqua Roſſia paſſim occurrit, ſub finem Aprilis florens.

SALIX alba.

SALIX foliis lanceolatis acuminatis ſerratis, utrinque pubeſcentibus, ſerraturis infimis glanduloſis. *Lin. ſyſt. plant. IV. p. 234. ſp. 31. Hofmann. ſalic. II. p. 41. n. 6. tab. 7. 8. Du Roy hort. harb. II. p. 400. Du Hamel. arb. II. p. 244. n. 1. tab. 64. Gmelin. Fl. ſib. I. p. 158.*

Roſſis *Wetla* (Ветла), *Wetlownik* (Ветловникъ). Maloroſſis *Werba* (Верба).

Lettis *Witahlo*, *Wihtolh*. Eſthonis *Pao-pu*, *Pajo*, *Ræmmal*. Coraecis *Tykyl*.

Ad omnes majores Roſſiae et Livoniae fluvios, itemque ad Irtin, in magnas paſſim arbores excreſcit et ad excavanda monoxyla ſaepe caeditur. Decoctum foliorum vel corticis etiam Ruſſi paſſim ad ulcerationes gangraenoſas adhibere norunt. *Cortex* in Pharmacopoea Roſſica officinalis. Circa Moſcuam et Petropolin floreſcit ſaepe ſub finem Martii.

SALIX vitellina.

SALIX foliis ſerratis ovatis acutis glabris, ſerraturis cartilagineis, petiolis calloſo-punctatis. *Lin. ſyſt. plant. II. p. 224. ſp. 5. Du Roy hort. harb. II. p. 393.*

Roſſis *Werba* (Верба).

In omni Roſſia arbuſtim, ſed ſatis procera provenit, forma foliorum S. albae ſimillima, ſed glabritie eorum, amentis multo minoribus, et viminum colore flaviſſimo diverſa. Pro palmis paſchalibus hujus rami, amentis immaturis obſiti, in eccleſiis graeco-roſſicis conſecrari ſolent.

SALIX viminalis.

SALIX foliis ſubintegerrimis (repandis) lanceolato-linearibus longiſſimis, ſubtus ſericeis, ramis virgatis. *Lin. ſyſt. pl. IV. p. 233. ſp. 29. Hofmann. ſalic. I. p. 22. n. 2. tab. 2. 5. fig. 2. Du Roy hort. harb. II. p. 403. Gmelin. Fl. ſib. I. p. 162. n. 16.*

Roſſis *Werbolos* (Верболозъ); ad Terec fl. *Talaſhennik* (Талаженникъ).

In Roſſia paſſim, nec non in Sibiria, ad ripas fluentium, in arbuſta magnae proceritatis excreſcit. Varietatem, quam *Gmelinus* deſcribit, longitudine foliorum eminentem, etiam ad Jeniſeam fluvium, circa rivos Sſoon, Karyſch, Aſkyſch, et alios obſervavi. Huic foliorum margines evidenter repandi, pagina inferior quaſi argentata.

SALIX

SALIX Gmelini.

SALIX foliis elliptico-lanceolatis, integris, ſubtus ſericeis. *Gmelin. Fl. ſibir. I. p. 163. n. 19.*

Hanc Salicem, praecedenti propiorem quam S. capreae, *Linnaeus* perperam pro hujus varietate poſuit. Specimina herbarii *Gmeliniani*, quaeque ipſe ad Jeniſeam et Baïcalem inque Dauuria legi, ſpeciem diſtinctam confirmant.

Arbuſtis proceris et minoribus occurrit, *virgis* craſſioribus, luteis vel fuſceſcentibus. *Folia* elliptico-lanceolata, integerrima, ſupra cana, ſubtus argentata. *Stipulae* in adultis nullae. *Amenta* inter gemmas foliiferas ſeſſilia, nuda; *maſcula* pollicaria, calamo tenuiora, palleſcente villoſa; *feminea* craſſiora, confertim imbricata. Autumno folia evadunt longiſſima, margine ſubrepando, ſupra nudiuſcula.

SALIX ſerotina.

SALIX foliis oblongis acutis integerrimis ſericeis, ſtipulis lanceolatis deciduis. *Pall. itiner. III. p. 759. app. n. 135. tab. Nn.*

Roſſis ad Volgam *Bjelolos* (Бѣлолозъ).

Abundat in vadis arenoſis et inſulis Volgae auſtralioris, inter Zarizyn et Aſtrachan, ubi, aeſtuante licet toto Aprili atque Majo ſole, omnibus aliis arbuſtis fronde jam umbroſis, nudis virgis torpet, et ſub initia demum Junii, decreſcente tunc inundatione fluvii, gemmas explicat et amenta exſerit, paulo ſerius Salice pentandra, quae ibi ſub finem Maji floret. Cum praecedenti magnam habet affinitatem, ſed tamen diſtincta videtur.

Frutex in vadis orgyalis vel ultra, in ſicciore ſitu arboreſcit, trunco brachiali. *Vimina* craſſa, fragiliora, ſtrictim erecta, vireſcente-gryſea. *Folia* integerrima (intra gemmam marginibus revoluta) juniora ovato-lanceolata, ſericeo-argentea; adulta oblongo-acuta, ſaepe dodrante longiora, mollia, ſubtus venoſiſſima et incana. *Stipulae* utplurimum nullae, in ramulis luxuriantibus lineari-acutae. *Amenta* pedunculo, aliquot foliolis inſtructo, e gemmis lateralibus exſerta: *maſcula* ſeſquipollicaria, hirſuta, ſquamis confertis, ſtaminibus longiſſimis; *foeminea* breviora, capſulis majuſculis crebris, tomento albeſcentibus.

Forſitan Salix aegyptiaca *Lin.* huic fuerit affinis.

SALIX babylonica.

SALIX foliis lineari-lanceolatis ſerratis glabris, ramis pendulis tenuiſſimis.

Lin. ſyſt. pl. IV. p. 226. ſp. 10. Du Roy hort. harbec. II. p. 397. Gmelin. jun. itin. III. p. 309. tab. 34. fig. 2. Hablizl. deſcr. taur. cherſ. p. 82.

Roſſis *Wavilonſkaja Iva* (Вавилонская Ива).

In Cherſoneſo taurica paſſim provenit, ſed translatitia, ut videtur, in hortis circa Bachtſchiſarai, ad rivos Alma et Catſcha, circaque Sudac. In Perſiae maritimis ſpontanea.

Truncus arboreus; *vimina* tenuiſſima, dependentia, luteo-gryſea. *Folia* anguſta, lanceolato-acuminata, ſerrata, ſerraturis remotis ſubulatis. *Stipulae* nullae. *Amenta* foeminea in pedunculis diphyllis, ſemipollicaribus vix majora.

SALIX triandra.

SALIX foliis ſerratis glabris lanceolatis petiolatis, ſtipulis trapeziformibus.

Lin. ſyſt. pl. IV. p. 224. ſp. 6. Du Roy hort. harbec. II. p. 394. Hoffman. ſalic. II. p. 45. n. 7. tab. 9. 10. Gmelin. Flor. ſib. I. p. 155. tab. 34. fig. 3.

Roſſis *Loſkloi Talnik* (лосклой шальникъ). Coſaccis Terekienſibus *Tagalnik* (шагальникъ).

In ripis et paludoſis montium Uralenſium et Sibiriae paſſim a me obſervata, arbuſtim et ſatis procera excreſcens.

Amenta maſcula, cum pedunculo foliato bi- ad tripollicaria, floſculis magis, quam in ulla alia ſpecie, inter ſe remotis, fere verticillatim diſpoſitis, triandris et ſaepe pentandris. In arenoſis humidis ad Terec fl. eandem obſervavit Cl. *Güldenſtädt.*

SALIX ſibirica. Tab. LXXXI. fig. 3.

SALIX foliis ovato-lanceolatis ſubſerratis tomentoſis rigidiuſculis, ſtipulis ovatis, ſubdentatis.

Roſſice *Talnik ſibirſkoi* (шальникъ сибирской).

In ulteriore Sibiria ad rivos ſubalpinos Jeniſeae, praeſertim circa Karyſch, deinde in campis alpeſtribus udis Dauuriae, virgultis ſaepe vix humanam altitudinem aequantibus vel arbuſtis majoribus paſſim occurrit.

Vomina

Vimina lutea, recta, parum ramoſa, virgata, pulchre flava, in multis juniore parte tota tomento-caneſcentia. *Folia* crebra, alterna, breviter petiolata, ſtricta, ovato-lanceolata, obſoletiſſimis rarisque denticulis ſubſerrata, valde nervoſa, rigidiuſcula, in quibusdam tomentoſo-alba utrinque, in aliis tantum ſubtus, imo interdum lanuginem fere plane exuunt. *Stipulae* perſiſtentes, ovatae, acutiſſimae, uno alterove denticulo notatae. Ad ripas orgyali vel ultra altitudine arboreſcit, foliis glaberrimis; viminibus ramoſiſſimis, flaviſſimis, quaſi laevigatis, ſtipulis nullis. At in convallibus udis, apricis virgatim et tomentoſa creſcit.

SALIX amygdalina.

SALIX foliis lanceolatis ſubſerratis glabris petiolatis, ſtipulis ſemicordatis.

Lin. ſyſt. plant. IV. p. 224 ſp. 6. Du Roy hort. harb. II. p. 394.

Roſſis *Mindalnoi Talnik* (Миндальной Тальникъ).

Circa Moſcuam et alibi paſſim in Roſſia temperatiore provenit, utut parcius viſa.

SALIX myrtilloides.

SALIX foliis integerrimis glabris ovatis acutis, (ſubtus glaucis). *Lin. ſyſt. plant. IV. p. 229. ſp. 18. Flor. lappon. 357. t. 8. fig. i. k.*

Roſſis *Talnik golubiſchnoi* (Тальникъ голубишной).

In paludibus frigidis Ingriae, Lapponiae, Sibiriae alpeſtris et orientalis, imo totius plagae arcticae, frequentiſſima cum aliis Salicibus pumilis.

Ingrica pedalis et ſeſquipedalis, arbuſculaeformis, calamo ſaepe craſſior; Sibirica tenerior, vix pedalis, paulo tenuiore trunco. *Rami* alterni, ſatis denſe foliati. *Folia* exſtipulata, myrtilli foliis forma et colore ſimillima, quaedam obtuſiuſcula. *Sibiricae* folia teneriora et minora, ſubtus ſemper glauca. *Amenta maſcula* ſemipollicaria, villoſa, pedunculo folioloſo, ſtaminibus longis, floſculis rariuſculis; *foeminea* capſulis paucis, glabris, longius pedunculatis. In orientalioris Sibiriae ſolo demiſſiore procerior evadit, et amentis longioribus atque laxioribus.

SALIX arbutifolia.

SALIX foliis obverſe-ovatis acutis ſerratis glabris.

An Salix pumila folio ovali, baſi ſerrato. *Gmelin. Flor. ſib. I. p. 160. tab. 35. fig. 2.*

Roſſice *Talnik Camtſchatſkoi* (Тальникъ Камчатской).

In alpinis circa Baïcalem lacum et in omni orientali Sibiria, uſque in Camtſchatcam pumilis virgultis, inſtar praecedentis, creſcit.

Vimina erecta, teſtaceo fuſca, ramulis annuis brevibus, alternis, crebro foliatis obſita. *Folia* exſtipulata, breviſſime petiolata, obovata, acuminata, ſerrata, verſus petiolum adtenuata, ſenſimque ſubintegra. *Amenta* non vidi.

SALIX fuſca.

SALIX foliis integerrimis ovatis ſubtus pubeſcentibus. *Lin. ſyſt. plant. IV. p. 232. ſp. 26. Flor. lapp. n. 365. tab. 8. fig. 5. Jacquin. Flor. auſtr. V. tab. 409.*

Roſſis *Woloſſiſtoi Talnik* (Волосистой Тальникъ).

In ſummis orientalis Sibiriae alpibus et in plaga arctica arbuſculis ſupra terram reptabundo-divaricatis, vix pedali virgulto adſcendentibus abundat. Circa Baïcalem paſſim viminibus erectioribus, foliisque majoribus.

Folia ſemper integerrima, ſubtus praeſertim juniora, pilis ſericeis raris obſita et ſubfimbriata, in noſtratibus laete viridia. *Trunci* antiquiores fuſci, ſed juniora vimina ſaepe fulvo-luteſcentia. *Amenta* magna; *foeminea* capſulis confertis, pappum laxum emittentibus; *maſcula* tenuia, ſeſquipollicaria, ſubhirſuta, filamentis brevibus.

SALIX divaricata.

SALIX foliis ovato-lanceolatis undato-ſerratis glabris, ramis divaricatis.

Roſſis in Dauuria *Talovoi Slanez* (Таловой Сланець).

In ſummo alpium Dauuriae cacumine Sochondo lectam a Cl. *Sokolof*, nec aliunde viſam hic deſcribo Salicem, quae omnium proxime ad S. phyliciſoliam *Lin.* foliis accedit. Creſcit inter ſaxa granitica, ſupra rupes proſtrato-expanſa.

Caudex craſſitie digiti vel pollicis, ab ipſa radice dichotomo-ramoſiſſimus, ramis breviſſimis, rigidis, divaricatis, terrae adpreſſis, luteo-fuſcis. *Folia* in extremis ramis crebra, in quibusdam lanceolata, integriuſcula, in aliis fruticibus ovato-lanceolata, groſſius ſerrata, ſerraturis ſubundatis obtuſis; caeterum glaberrima, exſtipulata.

Amenta foeminea inter folia ſubſeſſilia, aphylla, vix pollicaria, conferta, pappum denſum fundentia.

SALIX arbuſcula.

SALIX foliis ſubſerratis glabris ſubdiaphanis ſubtus glaucis, caule ſuffruticoſo. *Lin. ſyſt. pl. IV. p. 227. ſp. 14. Jacquin. Flor. auſtr. V. tab. 408. Gmelin. Flor. ſib. I. p. 159. n. 13. tab. 35. fig. 1.*

Roſſice *Talnik Tonkoliſtvennyi* (Тальникъ Тонколистственный).

In paludoſis jugi alpeſtris Jablennoi chrebet, Dauuriam diſtinguentis, et paſſim circa Baïcalem in ſubalpinis copioſiſſimum hoc virgultum, facie et circumſcriptione foliorum Salicem glaucam *Lin.* ſatis referens.

Vimina tenuia, fuſco teſtacea, virgata, pedalia et bipedalia. *Folia* ovato lanceolata, tenera, mollia, raris ſerraturis notata, interdum ſubacuminata, juniora, ut et vimina annua, raris *longisque* pilis pubeſcentia et fimbriata, ſubtus glauca. *Stipulae* nullae. *Amenta* crebra, aphylla, magna, ſed capſulis in foemina rarius diſpoſitis.

SALIX caprea. Tab. LXXXI. fig. 2.

SALIX foliis ovatis rugoſis, ſubtus tomentoſis undatis, ſuperne denticulatis. *Lin. ſyſt. pl. IV. p. 232. ſp. 28. Flor. lapp. 365. tab. 8. S. Flor. Dan. t. 245. Gmelin. Flor. ſib. I. p. 157. Hofman. Salic. I. p. 25. tab. 3 et 5. fig. 4.*

Roſſice *Verba* (Верба), *Bredina* (Бредина).

In ſylvis et ripis ſiccioribus arborea, in paluſtribus et paſcuis fruticans, pumila in alpinis, per omne Imperium Roſſicum, uſque ad orientalem Oceanum et ab arctica plaga uſque ad Caucaſum et Dynaprin occurrit.

Variat uti ſtatura, ita et foliorum forma et ſuperficie: ſecundum aetatem et ſtationem admodum diverſa. Sunt magis minusve oblongata, interdum obovato-obtuſa vel extremo rotundata; magis minusve rugoſa et undata, vel ſubſerrata. *Stipulae* etiam varia magnitudine, integrae vel dentatae. *Amenta* ſemper craſſa, ſeſſilia, aphylla, tomentoſa.

Varietas Tab. noſtrae *LXXXI. fig. 2.* exhibita, in ſummis cacuminibus Uralenſis jugi, v. gr. montibus Iræmel, Dſhigalga, Jaman, Imen, provenit: ſeſquipedalis, virgultis craſſis, fulcis, nodoſis, extremitate villoſis. *Folia* minus rugoſa, quam vulgari Capreae, plerumque acuminata, integerrima, exſtipulata, ſubtus villoſa. *Amenta* terminalia craſſa, magna, tomentoſa. — Eandem vernalem, ſine foliis, ramis villoſioribus, amentis maſculis et foemineis flavo villoſiſſimis, e plaga arctica ad Jeniſeam accepi.

Hujus et aliarum Salicum fruticantium cortex a coriariis Ruſſis praeſertim ad praeparanda coria *Jufty* dicta, requiritur.

SALIX acuminata.

SALIX foliis ovato-lanceolatis, ſubtus tomentoſis, ſuperioribus integris, inferioribus crenatis. *Hofman. Sal. II. p. 39. tab. 6. fig. 1. 2. Du Roy hort. harb. II. p. 407.*

Roſſis *Werbolos* (Вербoлозъ).

Species omnino a Caprea diſtinguenda, paſſim non ſolum in Roſſia, ſed et in Sibiria ad Obi aliorumque fluviorum alveos, ut et circa Baïcalem ſatis frequens occurrit. Eſt autem eadem, quam *Gmelinus (Flor. ſib. I. p. 163.)* pro Capreae varietate recenſuit, quaeque eſt *var. γ. Linnaei.*

Diſtinguitur facile foliis minus rugoſis et venoſis, magisque acuminatis, tenerioribus, tomento ſubtus tenerrimo albicantibus.

SALIX Lapponum.

SALIX foliis integerrimis hirſutis lanceolatis. *Lin. ſyſt. pl. IV. p. 230. ſp. 22. Flor. lapp. 366. tab. 8. t.*

Roſſice *Loparſkyi Talnik* (Лопарский Тальникъ).

Ramos ſpeciminibus lapponicis quoad folia ſimillimos, ſed foliis paulo villoſioribus et latiuſculis, e plaga arctica ad Obum et in alpinis circa Baïcalem lectos habeo.

SALIX lanata. Tab. LXXXII. fig. 1.

SALIX foliis ovatis undique villoſiſſimis ſeſſilibus integris, ſtipulis ovato-acutis.

Roſſice *Talnik ſcherſchavyi* (Тальникъ шершавый).

Species, ut videtur, a Caprea et Sal. acuminata diſtinctiſſima, ſed ſequenti admodum affinis, quam ſolum e Dauuriae jugo alpino ſummo, circa fontes Tſchikoji fl. a Clar. *Sokolof* lectam habeo, in reliqua Sibiria a nemine hucuſque obſervatam.

Arbuſcula, ut icon exprimit, puſilla, ſpithamalis, e trunco vix digitali ramoſiſſima, diffuſa, ramis ſubfaſtigiatis, fuſco corticatis, extremis ſericeo tomento obductis. *Folia* craſſiuſcula, ovata, ſubacuta, ſeſſilia, integra, utrinque tomento ſericeo argentato denſiſſime villoſa. *Stipulae* in ſummis ramis ovato-acutae, itidem villoſae. *Amenta* (tantum foeminea habeo) majuſcula, lateralia, pedunculata, uno alterove foliolo ſtipata, capſulis tomento albis.

SALIX fragilis.

SALIX foliis ſerratis glabris ovato-lanceolatis, petiolis dentato-glanduloſis, (ſtipulis ſerratis). *Lin. ſyſt. pl. IV. p. 225. ſp. 9. Du Roy hort. harb. II. p. 395.*

Roſſice *Iwa* (Ива).

In Roſſiae aquoſis temperatis et auſtralioribus paſſim occurrit, uſque ad limites Caucaſi.

SALIX pentandra.

SALIX foliis ſerratis glabris, floribus pentandris. *Lin. ſyſt. pl. IV. p. 223. ſp. 3. Du Roy hort. harb. II. p. 392. Gmelin. Flor. ſib. I. p. 153. tab. 34. f. 1.*

Roſſice *Tſchernotal* (Черноталь).

Per omnem Roſſiam et Sibiriam circa ripas fluviorum et rivulorum, etiam alpeſtrium frequens eſt, *pappo* omnium ſui generis maxime prolixo et ad uſus oeconomicos forte commendabili eminens.

SALIX arbuſcula.

SALIX foliis ſubſerratis glabris ſubdiaphanis ſubtus glaucis, caule ſuffruticoſo. *Lin. ſyſt. pl. IV. p. 227. ſp. 14. Flor. lapp. 352. t. 8. e. Jacquin. Fl. auſtr. V. t. 408. Gmelin. Fl. ſib. I. p. 166. n. 21.*

Roſſice *Talovoi Jernik* (Таловой Ерникъ).

In paludibus frigidis turfoſis Roſſiae borealis et Ingriae, dein a montibus Uralenſibus per Sibiriam paſſim, uſque ad orientalem oceanum occurrit.

Suberecta *virgis* tenuibus, pedalibus et ſeſquipedalibus, ſubramoſis, fuſcis, vel fuſco-luteſcentibus. *Folia* lanceolata, vel ovato-lanceolata, ſubſerrata, tenera, ſubtus glauca. *Amenta* foeminea copioſa, magna, uno alteroque foliolo ſtipata, capſulis rarius diſpoſitis.

SALIX lanuginoſa.

SALIX foliis utrinque lanuginoſis ovato-lanceolatis. *Lin. ſyſt. pl. IV. p. 230. ſp. 21. Flor. lapp. 368. tab. 7. fig. 7. tab. 8. n. x.*

Roſſice *Sedyi Talnik* (Седый Тальникъ).

In paludibus transbaïcalenſibus, praeſertim in jugo Jableny, frequens.

Spithamalis vel vix major, *trunco* tenui, in *ramos* divaricato, luteo corticato. *Ramuli* juniores pubeſcentes. *Folia* in noſtrate ovato-lanceolata, integerrima, tenera, pallide viridia et utrinque tenerrima lanugine obnebulata, ut male lanatam appellaverit *Linnaeus*.

SALIX haſtata.

SALIX foliis ſerratis glabris ſubovatis, ſtipulis ſemicordatis dentatis. *Lin. ſyſt. plant. IV. p. 225. n. 7. Flor. lapp. 354. t. 8. g. Gmelin. Fl. ſib. I. p. 156. n. 10.*

Roſſice *Slivoliſtvennaja krylataja Verba* (Сливолиственная крылатая Верба).

In Roſſiae et Sibiriae paſcuis et ſylvis udis, ut et ripis paſſim, virgultim et arbuſculae ſtatura creſcit.

Roſſica et Ingrica petiolis breviſſimis, ut folia fere ſeſſilia ſint; Sibirica habet folia longe petiolata, adeoque a ſtipulis remota; praeterea ſerraturae foliorum crebriores, magis imbricatae, venae teneriores, diviſura diverſa et ſine anaſtomoſibus primariis, ut videatur fere ſpecie diſtincta. *Ramuli* teneri in utraque ſubvilloſi. Poſterior ſatis proceras ſaepe arbores in ripis efficit, crebris roſis a Cynipe ortis, ramos terminantibus obſeſſa.

SALIX rhamnifolia.

SALIX foliis ovatis obtuſis ſerratis glabris, ſubtus glaucis. *Gmelin. Flor. ſib. I. p. 159. n. 13. tab. 35. fig. 1. A.*

Roſſis *Crugloliſtvennyi Talnik* (Круглолиственный Талникъ).

In paludibus ſubalpinis Sibiriae ab Obo uſque ad Baïcalem paſſim lecta, mihi quoque ab omnibus aliis, quas vidi, ſpeciebus diſtincta videtur.

Virgae vix pedales, ſpadiceae, ſubramoſae. *Folia* glaberrima, ovata, verſus petiolum magis producta, apice rotundata, obtuſe ſerrata ſeu crenulata, ſubtus magis minusve glauca. Reliqua *Gmelini* deſcriptio loquitur.

SALIX berberifolia. Tab. LXXXII.

SALIX foliis ſeſſilibus ovatis dentato ſerratis venoſis nitentibus. *Pallas itin. III. app. p. 759. n. 134. tab. Kk. fig. 7. Gmelin. Fl. ſib. I. p. 191. tab. 35. fig. 3.*

Roſſice *Talnik-Slanez-ſaſubriſtii* (Тальникъ-сланецьзазубристій).

Creſcit tantum in rupibus calvis montium excelſiſſimorum Dauuriae, juxta nives, Rhododendro Chryſantho plerumque comes. *Stellerus* varietatem virgis magis elongatis in Camtſchatca legerat.

Dauurica noſtra, quam icone expreſſi, *fruticulus* eſt ſupra ſaxa muſcoſa proſtratus, magnitudine circiter Arbuti alpinae: *trunco* ad ſummum digitum minimum aequante, *cortice* luteolo, ſubarticulato, ad truncum magis ſcabro; *ramis* breviculis, tortuoſe confertis. (At Camtſchaticae Stellerianae: virgae pedales et ſeſquipedales, tenuius protenſae). *Folia* in extimis ramis confertiſſima, parva, ovata, venis craſſiuſculis reticulata, nitidula, rigida, ſeſſilia, per ambitum ſerrato-dentata: *denticulis* diſtantibus, patentiuſculis, acuminatis, inaequalibus. Exſucca quoque folia hyeme non decidunt, ſed ſenſim abſumuntur et etiam ſub nive virent aliqua, quae gemmae hybernanti, (terminali, globoſae, luteae) ſunt proxima. *Amenta maſcula*, inter antiqua folia, e gemmis terminalibus, longitudine folii, tenuia, ſquamis diſtantibus, villoſis, diandris et triandris; *foeminea* folio breviora, capſulis paucis, majuſculis, confertis, quae valvulis revolutis edunt pappum vix longiorem. In maſculo frutice rami tenuiores, magis elongati; folia minora, ſerraturis crebrioribus imbricatis. — Icon plantam foemineam toroſiorem et brevius ramoſam exprimit.

SALIX retuſa.

SALIX foliis ſubſerratis glabris obovatis obtuſiſſimis. *Lin. ſyſt. plant. IV. p. 228. ſp. 16. Boccon. muſ. II. p. 18. tab. 1. Gmelin. Flor. ſib. I. p. 160. n. 14. tab. 35. fig. 2.*

Roſſice *Travœnoi Talnik* (шравяной Тальникъ).

In Sibiria orientali et Camtſchatca lecta ſpecimina habeo helveticis ſimillima, vix S. herbaceam magnitudine excedentia. In plaga arctica eandem legit Amic. *Sujef.*

SALIX herbacea.

SALIX foliis ſerratis glabris orbiculatis. *Lin. ſyſt. pl. IV. p. 228. n. 15. Flor. lapp. 355. t. 8. fig. h. t. 7. fig. 3. 4. Flor. dan. tab. 117.*

Roſſice *Talovaja Karla* (Таловая Карла).

E plaga arctica ad Obum ſpecimen unicum adlatum habeo; in alpinis et orientalibus Sibiriae nec mihi, neque aliis oblata eſt.

SALIX reticulata.

SALIX foliis integerrimis glabris ſuborbiculatis, ſubtus reticulatis. *Lin. ſyſt. pl. IV. p. 229. n. 17. Flor. lapp. 359. tab. 8. fig. 1. tab. 7. fig. 1. 2. Flor. dan. t. 212.*

Roſſice *Crugloliſtwennyi travœnoi Talnik* (Круглолиственный травяной Тальникъ).

In maxime borealibus ad Jeniſeam per arcticam turfoſam planitiem paſſim legit D. *Sujef*, lapponicae per omnia ſimillimam.

SALIX arctica.

SALIX foliis integerrimis ſubtus villoſis obovato-rotundatis.

Roſſice *Semojædſkyi Talnik* (Семоядскый Тальникъ).

In plaga arctica muſcoſa nuda ſecundum Sinum Obenſem et verſus glacialem Oceanum legit hanc ſpeciem Amiciſſ. *Sujef*. A deſcriptis auctorum ſpeciebus omnibus differre videtur.

Arbuſcula, fere ut Sal. fuſca, vix ſeſquipollicaris, craſſitie calami cygnei, a radice ſtatim ramis aliquot digitalibus craſſiuſculis, divaricatis terrae accubans, quorum cortex ſpadiceo-luteſcens. *Stipulae* nullae. *Folia* pro planta majuſcula, pollice latiora, obovata, apice latiora rotundata, integerrima, craſſius reticulata, ſupra nitentia, ſubtus tenuiſſime villoſa, petiolata. *Amenta* foeminea magna bipollicaria, digiti minimi craſſitie, e lateribus ramorum longius pedunculata, duobus tribusve foliis majuſculis ſtipata; *capſulae* confertae, craſſiuſculae, conicae, extus tomentoſo-canae.

EPHEDRA.

EPHEDRA polygonoides. Tab. LXXXIII.

EPHEDRA amentis oppositis pedunculatis. *Lin. syst. plant. IV. p. 280. sp. 1. et 2. Du Hamel arb. I. p. 220. tab. 92. Barrelier. icon. 731. n. 2. Gmelin. Flor. sib. I. p. 171. tab. 38. fig. 1.*

Rossice *Chwoinik jagodnoi* (Хвойникъ ягодной); vulgo in Sibiria *Stjepnaja malina* (Стѣпная малина) i. e. Vitis idea desertorum; Astrachanens. Cosaccis *Birutschyi Jagody* (Бирючьи ягоды) i. e. Baccae lupi.

Mongolis et Calmuccis *Dsherganà.*

Kirgiso-Tartaris *Kysiltschà.*

In australioribus Rossiae incipit a Tanaï fl. et per deserta arida montosa frequens est a Volga usque ad Lenam fl. versusque austrum usque ad Persas et Indos excurrit. *Stellerus* etiam in rupibus ab Aldano Ochotium usque et in glareosis circa mare, observavit. Nullibi majore copia provenit, quam ad Irtin superiorem, in ripis et praeruptis montium schistosorum, arena obrutorum, ubi integra spatia quasi tapeto, baccis miniatis pulchre vario obvestit. Ibi etiam et ad Jeniseam, perfectissimos, succulente turgidos fructus profert; at in collibus desertorum ad Volgam et Rhymnum, limoso-arenosis et in orientalis Sibiriae frigidis, ubi pumila crescit, plerumque exsuccos et saepe abortientes vel monospermos, vix coloratos. *Baccae* ad Irtin matureseunt Julio et Augusto, (prius ad M. caspium) subdulces, mucosae, et mihi quidem ardorem gulae postea relinquebant, et forte dysenteriae subsequentis inter causas fuerunt. A Russorum plebe tamen esitantur, ut et a Nomadibus totius Tatariae magnae. Calmucci expressum parenchyma baccarum incoquunt et gelatinam *(Serganà-chat)* pro cupediis et remedio anticatharrhali servant. Iidem aeque ac Kirgiso-Tatari, decoctum herbae satis sapidum et sudorificum contra rheumaticos dolores cum fructu usurpant *(Neue Nordische Beyträge III Band)* Mongoli hac herba et oleo betulino suffumigant equos ulcere narium laborantes; et cineres Kirgisi tabaco nasali immiscent.

Frutex secundum stationem mire variabilis, modo pedalis, vel sesquipedalis, modo digitalis vel minor, adscendens vel prostratus. *Truncus* fibroso-lignosus, digito saepe crassior, flagellis diffusus, *ramis*que itidem lignosis, brevibus adsurgens, in juncos copiosos subdivisis. *Junci* articulati, minime succulenti, satis tenaces, glauco-virides, subramosi, modo spithamalibus longiores, recti *(fig. A.)*, modo circinnato-spirales *(fig. B. C.)*, praesertim in aridis deserti caspici et ad Irtin. *Internodia* non facile secedentia, saepe sesquipollicaria, subtilissime striata, teretia, supra terminata squamis binis membranaceis, pubescentibus, emarginatis. *Sexus* in distinctis stirpibus; nec unquam hermaphroditas plantas vidi, frequentes autem sunt plane steriles, praesertim in aridis. *Mas (fig. A.)* plerumque procerior, *amentis* superiorum internodiorum vulgo *geminis*, oppositis, e squamula internodiorum pedunculo enatis. *Amenta mascula* ovata, squamis trium parium decussatim imbricatis, subcarnosis, concavo-rotundatis, virescentibus;

ſcentibus; in ſingulae ſquamae ſinu *corolla* bivalvis, ſubmembranacea, exſerens *ſtamen* extra ſquamas eminens, apice antheris globulosis flavis, ſeptem vel octo, quaſi racemoſum. *Foeminea (fig. B. C. D. E.)* amenta ſaepius ſolitaria, majora, ovato-acuta, e ſquamis quatuor parium, ſuperioribus ſenſim majoribus. Hae ſquamae in vigente planta maturitate evadunt turgidae, ſuculentae, pulchre miniacei coloris *(fig. B. E. D.)* et ſemina inter ſummas ſquamas turgidiſſimas fovent bina, ovato-acuta, plano-convexa, gryſeo-fuſceſcentia. In ſitientibus plantis fere ſimiles manent immaturis *(fig. C.)* fructibus, exſuccae, maturitate gryſeo-luteſcentes; et hi fructus ſaepius monoſpermi, et ſemina infoecunda..

Specimina Ephedrae ex Europa meridionali coram habeo, quam *Linnaeus* ſpecie diſtinxit, at omnino nullam a noſtrate Planta differentiam ſpecificam invenio. Forſitan *Linnaeus* tantum imperfecta ſpecimina macriorum plantarum e noſtris regionibus acceperat et ſpeciem diſtinctam ideo credidit.

COLUTEA.

COLUTEA ſanguinea.

COLUTEA fruticoſa, foliolis glaberrimis, petiolis ſubexſtipulatis.
C. orientalis *Du Roy hort. harb. I. p. 159. Du Hamel. arb. I. p. 178. n. 3. Hablizl. deſcr. cherſ. taur. p. 104.*

Roſſice *Puſyrnoe derevo* (Пузырное дерево) i. e. arbor veſicaria.

In Cherſoneſo taurica paſſim, in montibus circa Inkerman et Sevaſtopolin, in ſylvis ad Jalta; dein in rupibus cotaceis auſtralioris Caucaſi ad Cyrum, circa Tiflis et Mzgeta, ubi initio Maji floret. Frigus ſatis bene perfert.

Species omnino diſtincta, etiam in hortis, quam *Linnaeus* pro *varietate* β. Col. arboreae poſuit. *Statura* magis fruticans, et tota planta minor, tripedalis ad ſummum, virgata, cortice lacero, filamentoſo; *rami* magis herbacei, *ſtipulis* ad folia vix conſpicuis; at in C. arborea inſignibus exaridis. *Folia* plerumque quadrijuga cum impare. *Foliola* glaberrima, glauca, carnoſiora; dum in C. arborea ſunt mollia, tenuia, ſubtus pilis ſparſis proſtratis pubeſcentia. *Racemi* axillares foliis breviores, pauciflori. *Flores* paulo minores, forma carinae minus gibba, apice oblique magis truncata, alis carina brevioribus, quae in altera fere aequant. *Carina* ſubtus flava, reliquo ſanguinea; *vexillum* ſanguineum, flavo bimaculatum (quo in loco alteri ſpeciei linea circumducta rubens adeſt in flavo flore); *alae* dilute ſanguineae, et uti vexillum ſaturatius venoſae. *Legumen* (ut recte *Du Hamel* obſervat) ad apicem late hiat, inflatum, ſupra carinatum, ſubtus canaliculatum, luteſcens, rufo maculatum.

RUSCI.

RUSCUS Hypophyllon.

RUSCUS foliis ſubtus floriferis nudis. *Lin. ſyſt. plant. IV. p. 284. ſp. 2. Blakwell. icon. t. 194. Dillen. hort. eltham. t. 251. fig. 303.*

Roſſice *Myſchei Tern* (Мышей Тернь).
Imeretice *Schmerchli.*

Creſcit ſat frequens in ſylvoſis rupeſtribus montium calcareorum Caucaſi, una cum ſequente, non ſolum per Georgiam et Imeretiam, ſed etiam in boreali promontorio, a quinario cacuminum numero *Beſchtau* cognominato.

Caulis ſeſquipedalis, teres, ſtriatus, atro-virens, ligneſcens, declinatus. *Folia* ovato-acuta, ſeſſilia, alterna et oppoſita, ternaque, nervoſa, rigida, perennia, magnitudine fagi, *ſtipula* ovata erecta ſuffulta. Subtus e media coſta *ſquama* triangularis parva, e cujus ſinu *pedunculi* breves, penduli 3-6 uniflori. *Calyx* hexaphyllus, *foliis* viridibus, lanceolatis, alternis anguſtioribus, quae pro petalis haberi poſſent. *Antherae* 3. in thalamo ſeſſiles, latae, coalitae, atro violaceae, germen ambientes. *Germen* ovatum, ſuperum; *ſtigma* capitatum, atroviolaceum. *Bacca* rubra, carnoſa, globoſa, nucleo albo globoſo ſuboſſeo. G.

RUSCUS aculeatus.

RUSCUS foliis ſupra floriferis nudis. *Lin. ſyſt. plant. IV. p. 284. ſp. 1. Blakwell. icon. t. 155. foem. Kniphof. cent. I. tab. 77. maſc. Hablizl. deſcr. cherſ. taur. p. 111.*

Roſſice *Menſchoi Myſchei Tern* (Меншой Мышей Тернь).
Imeretice *Taguſi-ſara.*

Satis frequens occurrit in Betuletis et fagetis inter rupes calcareas et cotaceas ad pedem Caucaſi circa Kutais et in diſtrictibus Imeretiae Salordkipaniſo et Sadſchawacho; itemque in Tauricae montibus ſylvoſis inter Baluclava et Aluſchta. *Baccae* rubrae, Auguſto matureſcentes, magnitudine Ribis. Hyemes Petropolitanas ſub dio perfert, ſed fructus non maturat.

MYRICA.

MYRICA Gale.

MYRICA foliis cuneiformibus ſubſerratis, caule fruticoſo. *Lin. ſyſt. pl. IV. p. 243. ſp. 1. Flor. dan. tab. 327.*

Roſſis *Woſkownik* (Восковникъ), *Bolotnaja Myrta* (Болотная мырша), *Weresk* (Верескъ).

Eſthonis *Sinniko-wardet*; Lettice *Wirſeji*; Fennis *Purſu*, *Rahka*, *Pioeræ-ruoho.*

In paludoſis Ingriae et Fennoniae frequens, rarius in Roſſiae borealibus, frequens denuo ad Camam fl. provenit hic frutex; at in Sibiria mihi nuſquam viſus.

Virtus odorata ſubnarcotica videtur; decoctum ſudorificum, ad incipientes rheumaticos dolores utile. In Angliae Vallia incolae pulverem et decoctum interne et externe applicatum ad pellendos vermes, ramos inter ſtragula et pellicea veſtimenta pellendis tineis et pulicibus, tincturam foliorum ad flavo tingendas lanas adhibent. Etiam, ut in Germania, pro Humuli ſuccedaneo. (*Pennant Journey to Snowdon London 1781. 4. p. 146.*). Vocatur ibi *Bwrli*, i. e. planta emetica. In hortis noſtris non negligenda planta, ob elegantiam et quod folia non omnia hyeme dejicit.

VISCUM.

VISCUM album.

VISCUM foliis lanceolatis obtuſis, caule dichotomo, ſpicis axillaribus.
Lin. ſyſt. plant. IV. p. 240. ſp. 1. Du Hamel. arb. II. p. 353. tab. 104. Blakwell. icon. t. 184.

Roſſis *Oméla* (Омела).
Tartaris *Jelſchek*; Tſchetzenzis *Sé*.

In Ucrania aliisque Roſſiae provinciis meridionalibus ad Volgam et in occidentalibus, ut in Livonia; rarius in auſtralioribus montium Uralenſium, paſſim occurrit in Pinu, Pyraſtro, Corno mare, Populo alba, nunquam vero in Quercu; per Sibiriam transuralenſem, et in borealibus plane deeſt. — In Caucaſo fine Januarii et per Februarium floret, cum Corylo Avellana.

Frutex paraſiticus, dichotomus, bipedalis et vix major, cortice vireſcente, laeviuſculo obductus. *Folia* lanceolata, obtuſa, integerrima, glabra, craſſa, rigidiuſcula, utrinque nervoſa, ſeſſilia, oppoſita, vix alias, quam in extremitatibus ramorum obvia. *Flores* axillares, ſed ſemper fere in axilla terminali, in receptaculo communi, elevatiuſculo aggregati, vix tribus plures, ſeſſiles, dioïci. *Maribus* perianthium monophyllum, quadripartitum, laciniis erectis obtuſiuſculis; *corolla* nulla, *filamenta* nulla; *antherae* quatuor ad internam laciniarum calycis ſuperficiem adglutinatae. *Foeminis perianthium* quadriphyllum, maſculo ſimile; *germen* inferum, rotundum; *ſtylus* vix ullus; *ſtigma* obtuſiuſculum. *Bacca* alba, pellucida, glutinoſa, globoſa, magnitudine Ribis albae, monoſperma. *Flores* foeminei maſculis dimidio minores. *Color* totius plantae olivaceus; *odor* nullus; *ſapor* herbaceus, vix ac ne vix adſtringens.

PAEONIAE.

PAEONIA albiflora. Tab. LXXXIV.

PAEONIA foliis ternatis, foliolis lobatis nitentibus, germinibus ternis glabris.

Poeonia lacteo flore, foliis utrinque viridantibus et ſplendentibus. *Gmel. ap. Ammau. ſtirp. ruth. p. 77. n. 103. Flor. ſibir. IV. p. 184. n. 13.*

Roſſice *Marjin koren bjelyi* (Марьинъ корень бѣлый).
Mongolis et Dauuris *Dſchina.*

Pulcherrima planta transbaïcalenſibus regionibus propria provenit in convallibus herbidis rupeſtrium regionum ad Selengam, Argunum, Schilcam et Ononem fluvios. Dauuris et Mongolis notiſſima propter radicem edulem, in juſculis coquendam, et ſemina in pulverem contuſa Theae coctae acceſſoria. *Flos* ſoli inter Poeonias ſuaveolens. Herba ſubinſipida.

Radix fuſca, compoſita aliquot tuberibus cylindraceis ſeu fuſiformibus, ſpithamalibus, ſupra coalitis, parenchymate albo, parum ſapido. *Caulis* (e vagina radicali aphylla) bipedalis, calami craſſitie, gracilis, teres, ſulcis vix conſpicuis a ſingulo petiolo utrinque deſcendentibus ſtriatus, viridis, inferne nudus. *Folia* alterna, in petiolis longis, teretibus, ſupra canaliculatis, ternata: *foliola* tripartita, laciniis ovato-lanceolatis, medii ſimplicibus, lateralium mediis tri- vel bipartitis, exterioribus (tantum infimis foliis) bifidis. *Folium* caulis penultimum conſtat foliolis lateralibus ſimplicibus, medioque tripartito; ſummum ſeu florale ſimpliciter tripartitum. Planta tota glaberrima, nitida. *Caulis* in dauurica ſaepe triflorus, axillis ſuperiorum foliorum pedunculos longos faſtigiatos emittentibus. *Calyx* ſupra folium florale elevatus pedunculo craſſo breviſſimo, tetraphyllus; duobus exterioribus anguſtis, viridibus, acuminatis; interioribus latoconcavis, ſubacuminatis, pallido rubentibus. *Petala* octona maxima, lactea, ovalia, concava. *Stamina* circiter 150. etiam filamentis flava, *antheris* oblongis, erectis, depreſſo-quadriſulcatis. Intra ſtamina *corona* fungoſa ſubcontinua, lobata, exilior quam affinibus. *Germina* tria glaberrima, nitentia, conica, apice purpuraſcentia: *ſtigmate* in criſtam compreſſo, ſuborbiculari-hamato. *Semina* matura teſtaceo-luteſcentia, ovali-globoſa.

Floreſcit (in horto Petropolitano) cum Poeonia officinali vel paulo tardius, initio Junii, dum P. reliquae jam defloruerunt. Differt autem ab officinali inſigniter: 1. caule tenuiore, teretiore, vix ſulcato, rigidiore, rubente, dum in P. officinali toroſe ſex- vel ſeptemſulcatus; 2. foliis majoribus, biternatis, foliolis latioribus, laevioribus, utraque pagina nitidiſſimis, indiviſis, venis ſubtus vix prominulis; dum in altera folia ſubtriquinata, vel triternata foliolis primariis bifidis, lateralibus ſaepe foliolo acceſſorio minore ſtipatis; 3. folio florali remotiori; 4. floris colore et praeſertim *odore* Narciſſi aemulo, peramoeno germinibusque glabris; 5. radice et herba magis inſipida.

Icon noſtra caulem plantae florentem, floremque exhibet inverſum, ut calyx appareat, *A.* non bene explicatum *B.* ſtamina ad *C.* et ſigillatim ad *d.* Germina vero cum corona fungoſa ad *E.* Capſulas denique adultas et infra ſemina matura.

PAEONIA officinalis.

PAEONIA foliis duplicato-pinnatis ſublobatis, ſubtus venoſis. *Lin. ſyſt. pl. II. p. 609. ſp. 1. Blakwell. icon. t. 65. et 245.*

Roſſice *Pion* (Пїонъ).

Hanc ſpeciem Cel. *Güldenſtädt* in jugo ſubalpino calcareo auſtrali Caucaſi, locis umbroſis, haud frequentem provenire et Aprili florere prodidit, et quidem varietatem, quam *foeminam* appellant, ad Ilto, Narekovi et Cſani Georgiae fluvios; *marem* ad fl. Rion, in ſchiſtoſis jugis, ſemina fine Julii maturantem. In hortis Roſſiae ubique fere viget et a plebe lubenter pro ornandis pileis decerpitur.

Hanc deſcribit: „*Caule* bi- et tripedali ter, quaterve bifurcato. *Folia* quinato-ternata, ovato-lanceolata, integra, venoſa, margine ſubundulata. *Pedunculus* ex ultima axilla digitalis, uniflorus. *Capſulae* 3. tomentoſae, ſeminibus coeruleo-atris.„ Specimina in herbario ejus luſtrata, imperfecta licet, ab hortenſi planta ſatis diverſa ſunt, foliis latiſſimis ovatis, ſubacutis, venoſiſſimis, ſaepius biternatis, vel medio magno ſolitario, lateralibus ternatis. *Flos* mediocris, ruberrimus; *calyx* duobus foliis, altero flore duplo longiore, duobusque foliolis concavis compoſitus.

PAEONIA laciniata. Tab. LXXXV.

PAEONIA foliis biternatis, foliolis acute laciniatis, germinibus glabris.

Poeonia anomala *Lin. ſyſt. plant. II. p. 609. ſp. 2. Gmelin. Flor. ſib. IV. p. 184. n. 14. tab. 72.*

Roſſis *Marjin koren* (Марьинъ корень).
Tataris Sibiriae *Tſchegna.*
Mongolice *Dſyhnæ.*

Incipit ab Uralenſi jugo et per omnem Sibiriam in ſylvis herbidis, praeſertim montanis frequens eſt, uſque ad Lenam et ulterius, ultraque limites auſtrales Sibiriae. Etiam in hortis Petropolitanis viget, ubi maturius reliquis, ſub finem Maji floreſcit. A Mongolis et Tataris Kraſnojarenſibus etiam hujus radix colligitur et ſiccata contuſaque pro condimento carnibus incoquitur, quam pulticulam Tatari *Urè* vocant (*Pallas Reiſe III. p. 350.*). Ad Irtin eandem contra febres intermittentes prodeſſe expertus eſt D. *Boetcher* Chirurgus militaris.

Radix tuberoſa, difformis, maxima, proceſſibus ſpithamalibus cylindraceis deſcendens, luteſcens, parenchymate albo, quod recens pariter et ſiccum odore et ſapore fortiſſimo Amygdalas amaras vel Perſicorum nucleos aemulatur. *Folia* radicalia nulla: *vaginae* radicales muticae, rubrae, e qua caules. *Caules* ex una radice plures cubitales, imo ſeſquicubitales, craſſitie minoris digiti, teretes, glaberrimi, inferne nudi, ſupra alterne crebriusque folioſi, ſtipulis ad petiolos omnino nullis. *Folia* petiolo ſupra canaliculato-plano, fere ternata, petiolis partialibus tamen decurrente folio marginatis, ut etiam tripartita appellari poſſint. *Foliola* mollia,

laete viridia, ſubtus pallidiora, nitentia, glaberrima: *medium* profunde tripartitum, portione intermedia ſexies, lateralibus quater profunde inciſis; *lateralia* bipartita, portione altera ſexies, exteriore quinquies inciſa et ſubbipartita. Laciniae foliolorum omnes longae, acutae. Folia ſumma verſus florem ſenſim majora et minus inciſa, ultima trifida, medio quinquefido. Ad ipſum calycem foliola duo linearia, apice bi- vel trifido. *Flos* ſubnutans; *calyx* e foliolis tribus longioribus lanceolatis, corollam aequantibus, baſi purpuraſcentibus, extremo-foliaceo-reflexis, et tribus interioribus ovato-acuminatis, concavis. *Corolla* ſpecioſa, patentiuſcula, ſaturate roſea, odore leviter viroſo, hexapetala, hortenſibus ſaepe heptapetala: *petalis* oblongo-ovalibus, undulatis, teneris, exterioribus majoribus, interioribus anguſtioribus. *Stamina* circiter 250. *filamentis* ſetaceis, debilibus, anthera duplo longioribus; *antherae* magnae, erectae, oblongae, ſubcurvatae, longitudinaliter quadriſulcatae, polline flavo copioſiſſimo. *Germina* 3, 4, ſaepius 5, conica, glabra, viridia, *ſtigmate* ſeſſili, lunato-reflexo, purpureo. *Corona* germinis e glandulis fungoſis albis circiter 15. contiguis, ſubdidymis. *Capſulae* 5. coriaceae, glabrae, ovato-acutae, in ſtellam diſpoſitae, (in hortenſi ſaepe una alterave in medio erecta acceſſoria), maturae ſupra dehiſcentes, propellentes ſemina plura, ovali-globoſa, primum rubra, demum teſtaceo-nigra, quae demum poſt annum germinare vulgo ſolent.

Icon noſtra caulem floridum, florem averſum *A;* transverſim ſectum *B;* Petalum *C;* Stamen *D;* et capſulas adultas *E.* cum ſeminibus *F.* exhibet.

PAEONIA hybrida. Tab. LXXXVI.

PAEONIA foliis ternato-multifidis, laciniis linearibus, germinibus tribus pubeſcentibus.

Roſſis *Marjin koren menſchoi*, *ubludok* (Марьинъ коренъ меншой, ублюдокъ).

Occurrit hinc inde in convallibus et ad rivos Uralenſis jugi auſtralioris, et ad fl. Obum circa Barnauliam obſervata fuit, multo minor hortenſi, quam *tabula* noſtra exprimit, quaeque in horto botanico Academiae Petropolitanae e ſeminibus (ut ferebatur) P. tenuifoliae, in eadem areola cum Paeonia laciniata creſcentis, non ſine ſuſpicione hybridae originis, nata eſt, nec unquam ſemina matura perficere viſa eſt, quo ambigena origo confirmari videtur.

Statura fere P. laciniatae, multo procerior P. tenuifolia. *Caulis* craſſitie digiti, obſolete canaliculatus, (quod non in P. laciniata), rigidior, inferius nudus, hinc ad florem uſque folioſus, paulo copioſioribus foliis quam P. lacin. *Petioli* ſupra concavo-caniculati, craſſiores et rigidiores, quam in iſta, trifidi. *Folia* trichotomo-multifida, linearia, medio trifido, in 14 — 24 — 14, lateralibus in 14 — 22 — 9 circiter lacinias diviſis. Summa folia minora, circiter 18fida, floralia quinquefidum et decemfidum. *Calyx* ſeſſilis: *foliola* 3 exteriora baſi ovata, acumine foliaceo, lineari, corollam excedente producta, interiora tria magna, ovali-conchoidea, rotundata, acumine infero exiguo, ſetaceo; viridia, ora medioque purpuraſcentia. *Petala* ſeptem magna, lata, minus oblonga quam P. lacin. ſed intenſius rubra, medio inter illam et P. tenuifoliam colore, magis, quam in illa, coriacea et in globoſiorem formam coacta. *Stamina* 30 — 40. vel ultra, *antheris* minoribus, plerumque marceſcentibus, polline caſſis. *Germina* tria conico-covexa, pubeſcentia (quod non in P. lacin.); *ſtigmatibus* lunatis ruberrimis. Petala interdum bifida. *Glandulae* fungoſae albae receptaculi, circa germina circiter 17. minus contiguae quam in P. laciniata. *Sapor* paulo magis viroſus, quam ejusdem.

Icon noſtra caulem floridum, calycem averſum *A.* petalum *B.* et ſectum transverſim florem *C.* refert.

PAEONIA

PAEONIA tenuifolia. Tab. LXXXVII.

PAEONIA foliolis linearibus multipartitis, (germinibus binis tomentoſis).

Lin. ſyſt. pl. II. p. 610. ſp. 3. Decad. III. tab. 5. Gmelin. Flor. ſib. IV. p. 185. n. 15. tab. 73.

Roſſice *Pion* (Пїонъ) vel *Marjìn koren maloroſſiſkyi*, Марьинъ коренъ малороссїискый).

In Ucrania omni, ſecundum Tanaïn et Volgam paſſim, et ad Terec fl. locis montoſis inque praeruptis riparum creſcit; in taurica Cherſoneſo copioſa. Petropoli quoque in horto viget, multo ſpecioſior et major planta ſpontanea, cujus ſummam magnitudinem Icone noſtra expreſſi. Petropoli omnium congenerum prima floret ſub finem Maji, cito ſubſequente P. laciniata. *Odor* et ſapor plantae viroſus, nec, uti illius, aromatico-amygdalinus. Floris quoque odor nauſeoſus, ſatis fortis.

Radix repens, deorſum demittens fibras tuberoſas, tuberculis avellanae magnitudine, coloris albi, ſubſtantiae carnoſae, ſaporis amaricantis, raphanacei. Caulis in ſpontanea vix pedalis ſubunicus, in hortenſi ſeſquipedales ex eadem radice plures, pauciores tamen quam P. laciniatae. *Folia* radicalia nulla. *Caulis* teres, obſoletiſſime ſulcatus, uti tota planta glaber, inferne nudus, ſquamis aliquot vaginantibus. *Folia* crebra, alterna, ſuperiora ſenſim minora, petiolo tereti, ſupra canaliculato, quinata: *foliolis* multifidis in lacinias anguſtiſſime lineares. Summa folia ſimpliciter multifida. *Flos* ad ſummum folium ſeſſilis, ſubgloboſus, foliolo altero multifido, altero ſimplici, baſi dilatatis ſtipatus. *Calyx* pentaphyllus, foliolis concavo gibbis, duobus acuminatis exterioribus *(Fig. A. B.)*. *Petala* 8. patentia ovalia, ſaturatiſſime rubra *(Fig. D.)*. *Stamina (Fig. B. C.)* circiter 120, filamentis pallidis; *antheris* erectis, oblongis flaviſſimis. *Germina* 2 vel 3, conica, villoſa, *ſtigmate* criſtato, reflexo, verticaliter plano, roſeo. *Capſulae* in ſpontanea vulgo 2, in hortenſi 3, ovato-oblongae, tomentoſae, rubicundae, dehiſcentia reflexo-patentes, coriaceae. *Semina* oblonga, prius lutea, dein fuſca, circiter 6. ſuturae dehiſcenti affixa.

CYNOGLOSSA.

CYNOGLOSSUM officinale.

CYNOGLOSSUM ſtaminibus corolla brevioribus, foliis ovato-lanceolatis, tomentoſis ſeſſilibus. *Lin. ſyſt. pl. I. p. 390. ſp. 1. Blakwell. icon. t. 249. Gmelin. Flor. ſib. IV. p. 74. n. 12.*

Roſſis *Tſcherednik* (Чередникъ), in Sibiria *Stſchelkunà* (Щелкуна).

In totius Roſſiae, praeſertim auſtralioris nitroſis et ruderatis, itemque in temperatiore Sibiria, uſque ad Jeniſeam, maxime ad Irtin frequens. Floreſcit Majo, et in auſtralibus exeunte Aprili, immo ſaepe jam Martio. Variat floribus albis, et rubentibus.

E Gilano Perſiae ſpecimina habeo Cynogloſſi vulgato ſimillimi; quod differt foliis acutis, *racemis* florum axillaribus folio uno alterove notatis, terminalibus duobus nudis conjugatis, intermedio flore ſolitario. *Calycis* laciniae anguſto-lanceolatae; *corolla* coerulea ſaturatius venoſa. *Semen* plerumque unicum in calyce poſt floreſcentiam cernuo. An ſpecie diverſum?

CYNOGLOSSUM omphalodes.

CYNOGLOSSUM repens, foliis radicalibus cordatis. *Lin. ſyſt. plant. I. p. 392. ſp. 8. Knorr. delic. II. t. C. 7.*

Roſſis *Tſcherednik ſchirokoliſtvennyi* (Чередникъ широколиственный).

In Caucaſo, praeſertim ad fl. Laſany, in umbroſis ſylvae ſubmontanae legit hanc ſpeciem Cel. *Güldenſtädt;* in Cherſoneſo taurica Cel. *Hablizl.* Caeterum in Imperio Roſſico non occurrit.

CYNOGLOSSUM Rindera. Tab. LXXXVIII.

CYNOGLOSSUM foliis glaberrimis glaucis, ſeminibus marginatis inermibus.

Cynogloſſum laevigatum. *Lin. ſyſt. plant. I. p. 391. ſp. 5.* Rindera tetraſpis *Pallas itin. I. p. 486. app. n. 101. tab. F.*

Roſſice *Tſcherednik golyi* (Чередникъ голый или гладкой).

In auſtralibus ad Volgam, Rhymnum et Irtin fluvios variis locis, ad praerupta riparum limo arenoſo et humo conſtratarum, ſicciori praeſertim ſtatione, omnium copioſiſſime circa Zaryzyn et ad Ilek fl. Orenburgenſis tractus ad declivia praeſertim collium, ſoli obverſa creſcit. *Floreſcit* vere

vere ante medium Aprilis, ſimul cum Tulipa Geſneri, imperfectis adhuc foliis, caulem floridum protrudens, qui ſenſim excreſcit et cito ſemina perficit. Dum inter charta ſiccatur, odorem cadaveroſum Cynogloſſi ſpirat. Folia juniora marginibus convolutis prorumpunt, tenera guſtu lactucae crudae, cocta in olere guſtu Spinaciam aemulantur, ſed ſubamaricante. In horto difficillime educatur, niſi in ollis, humo arenoſo, ad ipſum marginem ſata. Herba inodora, ſubamaricans, quam ſaepius pro olere vernali coctam comedi.

Radix ſimplex vel ramoſa, macilenta, fuſca, perennans, ſupra terram reliquiis prioris anni ſcarioſa *(A.)*. *Folia* radicalia ovato-lanceolata, in petiolos verſus caulem lateſcentes attenuata, tenerrima, glaberrima, pulcherrime glauco-viridia et rubentibus venis diſtincta; *Petioli* ad caulem influs tomentoſi. Juniora folia ad nervum ſubinde teneris aliquot pilis ſparſa. *Caulis* circiter pedalis, rectiſſimus, ſtriatus, rubens vel pallidus, ſupra ramoſo paniculatus, ſparſusque foliis alternis, lanceolatis, ſeſſilibus. *Rami* floriferi ex alis foliorum caulis ſuperiorum alterni, rubentes, extremo racemoſi, ſubnutantes; *foliola* ad omnes pedunculos ſenſim minora. *Cyma* junior adverſus ſolem valde nutat; excreſcente caule et plena floreſcentia magis erigitur. *Calyx* (*fig. C. 1. 2.*) groſſiori modo albo-tomentoſus, pentaphyllus, foliolis lanceolato-linearibus perſiſtentibus. *Corolla* (*fig. C. 1. 4. 5.*) calyce plus duplo longior, monopetala, quinquefida, *tubo* longitudine calycis, albidiore, cylindraceo, fauce coarctato; unde pergunt *laciniae* parallelae, lineari acutae, antheris interſtinctae, plerumque purpuraſcentes, ante plenam floreſcentiam lividae, imo vireſcentes. Apparet autem corolla, quum cyma vix pollicis altitudine inter folia protruditur. *Odor* florum nullus, licet ab apibus frequentetur. *Staminum* filamenta fere nulla; *antherae* (*fig. C. 5.*) ad inciſuras corollae fere ſeſſiles, erectae, lineares, baſi ſubbifidae, latere utroque dehiſcentes. *Piſtilli* (*fig. C. 3.*) germen in fundo calycis haemiſphaericum; *ſtylus* adtenuatus, corolla paulo longior, *ſtigmate* globuloſo, vix conſpicuo terminatur. *Flores* in ſingulo ramo plures ſteriles, *corolla* decidua ſenſim marceſcentes, pauciores pedunculo craſſeſcente eriguntur (*fig. B.*), reflexisque calycinis foliolis a germine enata quaterna pandunt *ſemina* majuſcula depreſſa, ſuperius acuta, arillo undique alata membrana lata, rigidiuſcula, ſtriata, quae primum vireſcente-pallens, maturitate evadit colorata, purpuraſcens vel ſubviolacea Raro ſemen unum vel plura abortiunt, plerumque quatuor adſunt perfecta, quaſi ſcuta adfixa *receptaculo* craſſo conico in ſtylum perſiſtentem continuato. *Fig. D. 1.* et *5.* ſemina in ſitu naturali, *2.* demto unico ſemine receptaculum cum calyce, *3. 4.* ſemen ab utroque latere; *6.* ſecta transverſim cum receptaculo ſemina repraeſentant.

Rindera utique novum genus conſtitueret in Syſtemate plantarum, ſi *Linnaei* aliquis aſſecla inventor fuiſſet; nunc jura generica, quae alibi in minutiis et minus eſſentialibus quaeſivit *Linnaeus*, eodem iniquo judice amiſit. Si tamen hic corollae forma et ſeminum nihil valet, erunt etiam magis Myoſotides echioſpermae ad Cynogloſſa amandandae, quod in Lappula, forſan non ſine jure, auſus eſt *Hallerus*.

SWERTIAE.

SWERTIA perennis.

SWERTIA corollis rotatis ſubpaniculatis, foliis radicalibus ovalibus. *Lin. ſyſt. plant. I. p. 635. ſp. 1. Jacquin. fl. auſtr. III. t. 243. Gmelin. fl. ſib. IV. p. 111. n. 77.*

Roſſice *Swertzia ſhiwuſtſchaja* (Сверцïа живущая) vel *Sweroboi gorſkoi* (Зверобой горской).

Planta e ſpecioſiſſimis alpeſtribus, in Uralenſis jugi ſummis cacuminibus, ut Dſhigalga, Iraemel et aliis bipedalis occurrit, in alpibus altaïcis et dauuricis, ut et in maxime orientali Sibiria vulgo pedalis, ſed poſt floreſcentiam longius excreſcit. Amat paludes alpinas. Herba et radix grato amarore pollent, ut medica virtute commendabilis videatur aeque ac congeneres reliquae et adfines Gentianae.

Radix perennis fibroſa, radiculis luteſcentibus vel fuſcis. *Folia* radicalia terna vel quaterna, ovata, in petiolos adtenuata, quinquenervia; caulina alterna et oppoſita, ſeſſilia. *Flores* racemo vel panicula magis minusve conferta, vel elongato-interrupta diſpoſiti. Planta tota glaberrima. Deſcriptio in Flora ſibirica *Stellerum* habet auctorem.

SWERTIA rotata. Tab. LXXXIX.

SWERTIA corollis rotatis paniculatis, foliis lanceolatis. *Lin. ſyſt. pl. I. p. 636. ſp. 3. Gmelin. fl. ſib. IV. p. 112. tab. 52. fig. 2. Flor. dan. tab. 343.*

Roſſice *Swertzia laſorevaja* (Сверцïа лазоревая), vulgo *Sweroboi laſorevoi* (Звѣробой лазоревой).

Incipit ad Yjus et Tſchulymum fluvios, et a Jeniſea per omnem orientalem Sibiriam, in pratis udis intermontanis et convallibus apricis aquoſis et parum ſalſuginoſis, paſſim copioſiſſime provenit, adeo ut integros tractus ſub finem Auguſti menſis cyaneo florum colore adumbrare videatur. A Tataris Sibiriae herba manducata vulneribus imponitur, quo etiam uſu Gentianae variae veniunt; Roſſi, ob amarorem gratum, aromaticum, decoctam cum fructu bibunt.

Planta annua, erecta, ſaepius ſeſquipedalis, ramoſior, multiflora *(fig. 1. 3.)*, vel minor, paucioribus ramis et floribus *(fig. 2.)*. *Radix* breviſſima, exilis, rigida, in ramulos ſubdiviſa. *Caulis* rigidiuſculus, filiformis, laevis, infra nudus marceſcentibus foliis, ſupra alterne ramuloſus, ramis

ramis ſtrictis. *Folia* oppoſita, vulgo lineari-lanceolata; ſed in varietate *(fig. 3.)* ad fontes Vitimi fl. in pratis alpinis udis a Cl. *Georgi* et ad Manſa rivum alpinum Dauriae a Cl. *Sokolof* lecta, lanceolato-ovata, tenuiſſime trinervia. *Rami* axillares plerumque triflori, vel uniflori, rarius quinqueflori. *Pedunculi* elongati, unico foliorum pari. *Perianthium* pentaphyllum foliolis linearibus, in varietate *(fig. 3.)* lanceolatis, corolla brevioribus. *Corolla* ſtellato patens, poſt floreſcentiam convoluto-perſiſtens, diviſa in petala vix baſi cohaerentia, ovato-acuta, pulchre cyanea, extus medio vireſcentia. *Stamina* cum antheris viridicoeruleſcentia, e baſi laciniarum corollae, ubi area flaveſcens, nectarifera et *ſquamae* duo lanceolatae adſtant. *Germen* cylindraceo-acutum, ſubfuſiforme, ſine conſpicuo ſtylo vel ſtigmate. Nectarii ſquamulae 10. carinatae germen coronant. *Capſula* intra corollam convolutam cylindraceo-depreſſa, filiculiformis, bivalvis, *ſeminibus* minutis globoſis nigris foeta, e quibus plantam nunquam educare potui. *Numerus* in flore plerumque quinarius; e ſummis floribus ſaepius aliqui hexandri *(litt. B.)*, at rarius heptandri (*litt. C.*) et tetrandri (*litt. A.*). Plant atota glaberrima. In Camtſchatca et circa mare Ochotenſe *Stellerus* locis humidis humiliorem, latioribus foliis, minusque ramoſam, in apricis elatiorem, valde ramoſam, anguſtioribus foliis obſervavit.

An Swertia carinthiaca Cel. *Jacquin. Miſcell. auſtr. vol. II. p. 53. t. 6.* a S. rotata noſtra, niſi pumila ſtatura, differat, dubius ero, donec ipſius plantae ſpecimina videro.

SWERTIA tetrapetala. Tab. XC. fig. 2.

SWERTIA corollis rotatis quadrifidis, foliis oppoſitis lanceolatis nervoſis.

Roſſice *Svertzia camtſchatſkaja* (Сверцïя камчатская).

Hujus in Camtſchatca obſervatae elegantiſſimae plantae iconem inter reliquias Stellerianas invenio, et miror a *Gmelino* Florae ſibiricae non fuiſſe inſertam. *Stellerus* eandem in uno ſaltem loco, ad oſtium Appallae fl. in dextra ripa elata, oſtio oppoſita obſervavit.

Stirps vix dodrantalis, annua; *radix* ſimplex, exilis, adtenuata; *caulis* ſimpliciſſimus erectus, filiformis, teres vix dodrantalis, paribus foliorum 4 vel 5, lanceolatis nervoſis inſtructus; inferiora folia ex ovato lanceolata. *Petioli* ex alis foliorum et aliquot e ſummo caule, foliolati, ut in Sw. rotata ſubfaſtigiati. *Flores* (*2. B. c.*) minuſculi, quadrifidi omnes: *calycis* foliola linearia; *corollae* laciniae vix baſi cohaerentes, patentes, intenſe cyaneae, in medio diſco lacuna ſeu cicatrice impreſſa longitudinali oris crenulatis fulveſcente, loco *nectarii* notatae (*2. D*), quae in dorſo petalorum quoque conſpicuae ſunt; *ſtamina* rufeſcentia, corolla breviora. *Germen* fuſiforme, ut in congeneribus.

SWERTIA corniculata. Tab. XC. fig. 1.

SWERTIA corollis urceolatis baſi corniculatis. *Lin. ſyſt. pl. I. p. 636. ſp. 3. Gmelin. Flor. ſib. IV. p. 114. t. 53. fig. 4.*

Quadruncinata folio et facie Gentianae ciliatae *Meſſerſchmid. hodeget. MS. Amman. ſtirp. ruth. p. 2. n. 3.*

Roſſice *Svertzia borovaja* (Сверцïя боровая); vulgo *Sveroboi bjeloi* (Звѣробой бѣлой).

Meſſerſchmidius hanc plantam curioſiſſimam et ſtructura florum in ſuo genere admodum ſingularem, jam citra Jeniſeam, ad album Yjus fl. obſervavit; ego potiſſimum ultra Jeniſeam incipere vidi; hinc ubique in ſylvis pineis arenoſis, ſubudis, cum Rhododendro dauurico abun-

dat. Floret Julio. Ob amaritiem gratam, ſub nomine *bjeloi Sveroboi*, inter domeſtica eſt remedia incolarum Sibiriae. Humiliorem foliis et ſeminibus majoribus, et floribus paulo turgidioribus in ſabuloſis circa Ochotenſem ſinum et in Camtſchatca obſervavit *Stellerus;* ſimilemque in alpinis ad Nertſchugan riv. Cel. *Laxman*, e cujus ſeminibus enata in ollis planta mihi biennis floruit. In mediterraneis Camtſchatcae vix biunciali major creſcit, caule ſimplici unifloro, 2 vel 3 paribus foliorum.

Planta a dodrantali ſubſimplici (*fig. 1. B.*), ad bipedalem ramoſiorem et multicaulem (*fig. 1. A.*) variat. *Radix* brevis, adtenuata, fibris quatuor lateralibus cruciata, interdum pluribus ſubramoſa, rigidula, alba. *Folia* radicalia plura, lato-lanceolata, excreſcente caule marceſcentia. *Caulis* obſolete tetragonus unicus, vel quini pluresve a radice exeuntes, iidemque oppoſite ramoſi, ſtrictiuſculi, elongati, ſubfaſtigiati. *Folia* caulina oppoſita, ovato-lanceolata, trinervia. *Pedunculi* axillares et terminales, filiformes, nudi, uniflori. *Flos* ſubnutans, plerumque quadrifidus, ſaepe et quinquefidus (*C. 1. D.*), vireſcente-pallidus, ſubtetragono-campanulatus, laciniis acutis conniventibus, baſi in totidem, quot laciniae, cornicula ſubulata, patentia, rectiuſcula, viridiora productus, quae in alpinis magis elongata. *Perianthium* e foliolis linearibus exilibus, numero corollae. *Antherae* ſtaminum exiguae intra corollam. *Germen* cylindraceo-conicum. *Capſula* intra corollam perſiſtentem, auctam, clauſamque, itidem ſiliculiformis, bivalvis, *ſeminibus* paucioribus papavere paulo majoribus, gryſeo-fuſcidis.

SWERTIA dichotoma. Tab. XCI.

SWERTIA corollis campanulatis ecornibus. *Lin. ſyſt. pl. I. p. 636. ſp. 5. Gmelin. fl. ſib. IV. p. 113. tab. 53. fig. 3.*

Roſſice *Svertzia ſelenaja* (Сверцïя селеная).

Planta Sibiriae orientaliori peculiaris, haud frequens, mihi primum oblata ad Catſchae ripas ſupra Crasnojarsk, et dehinc paſſim, locis udis, praeſertim circa Baïcalem. Vix amaricans, Auguſto demum florens.

Radix ſimplex, adtenuata, robuſtior quam duobus praecedentibus et ut videtur biennis. *Planta* tenerrima, mollis, laete viridis, uti Sw. corniculatae. *Folia* radicalia (*fig. A. B.*) ovata, quinquenervia, in petiolum elongata. *Cauliculi* e radice plures, tenues, rubentes, debilitate ſaepe decumbentes, in adulta planta ramoſiſſimi, hinc inde quaſi dichotomi, creberrimos flores in longis tenuiſſimisque pediculis ex omnibus alis proferentes. *Folia* caulina ſubſeſſilia, ovato-lanceolata, ſubquinquenervia. *Flores* multo minores, quam praecedentis, viridiores, interdum ſubrubentes, quadrifidi, campanulato-ſubgloboſi, laciniis fere uſque ad baſin diviſis, ovatis, intus duobus in ſingula punctis nectariferis luteis. *Perianthium* e foliolis ovato-lanceolatis. Planta, uti reliquae hujus generis, glaberrima.

GENTIA-

Universidade de Coimbra
JARDIM BOTANICO

GENTIANAE.

GENTIANA ciliata. Tab. XCII. fig. 2. ab.

GENTIANA corollis quadrifidis, inciſuris ciliatis. *Lin. ſyſt. plant. I. p. 645. ſp. 27. Flor. dan. t. 317. Gmelin. Flor. ſib. IV. p. 105. n. 73.*

Roſſice *Goretſchafka* vel *Sokolniza ljeſnaja* (Горечавка или Сокольница лѣсная).

Incipit in Sibiria ultra Tom fl. et per orientaliores regiones ubique in herbidis montanis frequens eſt, neque in ſylvis borealioribus deeſt; at citra Ob fl. et in Uralenſi jugo mihi nunquam occurrebat. In pratis alpinis Caucaſi obſervavit Cel. *Güldenſtädt.* Herba amaritie medicata, Tangutis officinalis et pulchritudine florum ad hortos commendabilis. Floreſcit verſus autumnum.

Planta inter Swertias et Gentianas intermedia, biennis, ramis ſtrictis erecta, interdum ramoſiſſima ſeſquipedalis et ultra, in Sibiria omni et Caucaſo procerior *(fig 2. a.)* quam europaea *(2 b.)*, ſed corollis minoribus. *Radix*, ut in Swertiis, exigua, ſubramoſa, adtenuata. *Folia* radicalia, in plantis exilibus unifloris bina, minora; in majoribus plura circa imum caulem diſpoſita, oblonga; caulina lanceolato-acuminata. *Caulis* tenuis, rigidus e tereti-tetragonus. *Flos* in noſtratibus minor, quam europaeae. *Calyx* tetraedrus, compreſſiuſculus, angulis duobus obtuſioribus, omnibus acie arguta fuſca prominulis, fere ſemiquadrifidus, *laciniis* carinatis, duabus longioribus acuminatis, duabus brevioribus latiuſculis margine membranaceis. *Corolla* hypocrateriformis, quadrifida: *tubus* tereti-ſubtetragonus, vireſcens, ſtriis ſurſum duodecim coeruleis; *laciniae* longitudine fere tubi, baſi erecta utrinque ſerrato-ciliatae *(fig. D.)*, extremo dilatatae in ungues patentes rotundatos, ante floreſcentiam contra ſolem tortos, ſubſerrulatos, dilute coeruleos. *Corolla* fundo nectarifera, punctis ſeu *glandulis* viridibus quatuor. *Staminum* filamenta corollae medio tubo adnata, intus canaliculata, extus coeruleſcentia; *antherae* parvae flavae, ſupra ſtigma conniventes. *Germen* obſolete tetragono-depreſſiuſculum, ſubpedunculatum, *ſtigmate* latiuſculo, revoluto. Corolla perſiſtens circa fructum convolvitur, palleſcit et demum marceſcit. *Capſula* obtuſis angulis dehiſcit; in qua *ſemina* quadrifariam diſpoſita

GENTIANA ſeptemfida. Tab. XCII. fig. 2.

GENTIANA corollis ſeptemfidis quinquefidisque, laciniis intercalaribus ciliatis.

Roſſice *Goretſchafka* vel *Sokolniza otmennaja* (Горечавка или Сокольница опъменная).

In alpibus Perſiae M. caſpio vicinis frequens planta, quam etiam ex altiſſimo monte Tſchatirdag, Cherſoneſi tauricae habeo. Maxime amara, herba et radice.

Radix perennis, propaginibus ſubarticulatis in caules adſcendens. *Caulis* pedalis et ſeſquipedalis, habitu G. aſclepiadeae, teres, laevis, ſimpliciſſimus. *Folia* oppoſita, patentia, ovato-acuminata, ſubamplexicaulia, quinquenervia. *Flores* e ſummis plerumque alis foliorum bini et terminales tres, ſimul in corymbum coacti, breviter pedunculati, ſummo prius effloreſcente, tandemque omnes ſimul floridi, magnitudine, ut G. aſclepiadeae. *Calyx* parvus, angulatus, truncatus, laciniis linearibus ex ipſis angulis. *Corolla* campanulata, ventricoſa, intus nuda, tubo coarctata, coerulea, limbo in quinque, ſex, ſeptemve lacinias reflexas, baſi punctatas fiſſa, interjectis ſingulae laciniae *ligulis* erectis, multifido-capillaribus. *Staminum* numerus reſpondet numero floris. Tota planta glabra.

GENTIANA aſclepiadea.

GENTIANA corollis quinquefidis campanulatis oppoſitis ſeſſilibus, foliis amplexicaulibus. *Lin. ſyſt. plant. I. p. 637. ſp. 4. Jacquin. Fl. auſtr. IV. t. 328.*

Roſſice *Goretſchaſka beſſylnaja* (Горечавка безъсильная).

Hanc ſpeciem omnium ſui generis inertiſſimam et amaroris expertem, in pratis ſubalpinis Caucaſi paſſim, fere tripedalem, legit Cel. *Güldenſtädt*, praeſertim in prato Surch, inter fl. Pſechuſch et Uruch.

Caule, foliis et florum diſpoſitione praecedenti admodum ſimilis; differt praeſertim magnitudine, floribus uſque ad medium caulem axillaribus, corolla ſimplici, ter quinquefida non punctata. *Folia* inferiora quinquenervia, ſuperiora trinervia: *Calyx* ſubſpathaceus, ſegmenta ſaepe fere longitudine corollae emittens.

GENTIANA auriculata. Tab. XCII. fig. 1.

GENTIANA corollis quadrifidis quinquefidisque campanulatis intus villoſis, calycinis laciniis alternis cordatis.

Roſſice *Goretſchaſka* vel *Sokolnitza kamtſchatſkaja* (Горечавка или Соколница камчатская).

In locis herbidis et paluſtribus circa mare Ochotenſe atque Penſhinenſe, ut et per omnem Camtſchatcam inſulasque verſus Japoniam et Americam ſitas, imo uſque in Americae littus, frequens planta, quam *Stellerus* et cum illo *Gmelinus (Fl. ſib. IV. p. 106. p. 74.)* perperam cum G. campeſtri conjunxit, dum eam in loco natali definitione Florae lapponicae, non collata forte planta altera, dijudicavit. Eſt certe diſtincta ſpecies, quam igitur Roſſi maris accolae recte a G. campeſtri, ſub nomine *Ochotſkoi ſweroboi (Охотской звѣробой)* diſtinguunt, et herbam recentem atque ſiccam, itemque ſuccum, tanquam ſtomachicum et antiſcorbuticum, diarrhoeas quoque vernales, ab eſu piſcium ortas, compeſcens, inſigniter laudant, et per Sibiriam, imo Moſcuam uſque diſtrahunt. *Stellerus* vero, licet laudabiles vires expertus, non tamen

tantae

tantae prae congeneribus laudis dignam cenſet; nec ſiccata herba amaritie eminet, imo potius multis aliis Gentianis, praeſertim alpinis, inferior eſt. Credunt autem Roſſi, Gentianae hujus herbam aeque Rhododendri folia majores vires acquirere eundo, ideoque trans mare portant Ochotenſes herbas in Camtſchatcam, camtſchaticas invicem Ochotii uſu praeferunt. Floreſcit initio Auguſti, ſemina perficit Septembri.

Planta erecta, ſubſimplex, pedalis vel minor: *radix* exilis, ſublignoſa, adtenuata, fibris aliquot ramuloſa. *Caulis* ſubquadrangulus, parum contractus, ſubſimplex. *Folia* radicalia minora, ovata, verſus baſin adtenuata; *caulina* ima radicalibus proxima, reliqua longe abinvicem remota, oppoſita, oblonga, quinquenervia, ſeſſilia, ſuperiora ſubamplexicaulia, magis lanceolata. Color foliorum ſubtus pallidior, interdum violaſcens. *Flores* in ſummo caule inter duo paria foliorum quini, longius pedunculati, interdum ex alis proximorum foliorum acceſſorii ramuli uni- bi- vel triflori, pari foliorum inſtructi. Pedunculi florum ſubquadranguli (*calyx* angulatus infundibuliformis, laciniis duabus alternis, latioribus, cordato-rotundatis, ſubrevolutis, velut auriculatus. In quinquefido flore, laciniae 3. ovatae minores, 2. dilatatae. *Corolla* campanulata, quadrifida, tubo albido, laciniis rotundatis, pallide coeruleſcentibus, intus baſi villoſiſſimis, ut tubus longo villo plane clauſus ſit. *Antherae* parvae fuſcae, medio incumbentes, non erectae, ut in aliis Gentianis. *Germen* fuſiforme, *ſtigmate* didymo.

Variat, *Stellero* obſervante, ſecundum locum, ita ut circa mare ramoſiſſima ſit et maxima, quippe ſalſuginis amans; quo magis vero a mari remota creſcit, eo minor, omniumque minima, vix uncialis, uniflora et exilis in muſcoſis mediterraneis et udis locis obſervatur. Maritimae plantae corollae plerumque violaſcentes vel ſubrubentes; in herbidis apricis, procul a mari, vulgo pallide coeruleae vel albae, rarius coeruleae; in paluſtribus plerumque coeruleae.

In Tabula noſtra *fig. A. B. C.* calycem et corollam diſſectas exprimunt.

GENTIANA campeſtris.

GENTIANA corollis quadrifidis quinquefidisque fauce villoſis, calycinis laciniis alternis majoribus acuminatis. *Lin. ſyſt. pl. I. p. 328 et 367? Haller. ſtirp. helv. I. p. 289. n. 650.*

Roſſis *Goretſchafka ſtarodubka* (Горечавка стародубка), quibusdam *Beſchenaja trava* (Бешеная трава) i. e. Herba rabiei.

Per omnem Roſſiam et Sibiriam, ad Baïcalem uſque, in pratis udis et ſiccioribus frequens planta, ob gratam amaritiem inter medicamenta plebeculae jure laudata, nimis vero a quibusdam hydrophobiae rabidae inde antidotum ſperantibus.

Variat haec planta: 1. Statura a ramoſiſſima ſpithamali et ſeſquipedali, ad ſimplicem vix tripollicarem; 2. magnitudine et colore corollae, noſtratibus ſemper minoris, et e viridi-livido-coeruleſcentis, nunquam ſpecioſae; 3. numero corollae quaternario et quinario, qui nobis non ſolum uterque in variis regionibus, ſed in eodem quoque ſaepe loco, imo in eadem planta occurrit.

Differt autem ab antecedente ſpecie: caule fere a radice floride ramoſo, ramis crebris, foliisque magis lanceolatis; herba obſcurius viridi, ſaepe purpuraſcente; floribus mino-

ribus, ſubſeſſilibus; calycum laciniis omnibus acutis, nec alternis cordato-dilatatis, corollae quoque laciniis acutis.

Differt porro a G. Amarella, ſtatura proceriore, ramoſiore; foliis anguſtius productis; calycis laciniis duabus multo majoribus, corolla dimidio minore, decolorata, frequentius quadrifida, ut alia praeteream.

GENTIANA Amarella.

GENTIANA coroilis quinquefidis hypocrateriformibus fauce barbatis.

Lin. ſyſtant. pl. I. p. 644. ſp. 25. Flor. dan. t. 328. et 367. Haller. ſtirp. helv. I. p. 289. n. 651.

Roſſice *Goretſchafka oſſennaja* (Горечавка осенная).

In Caucaſo paſſim lecta ſpecimina habeo, germanicae plantae ſimillima; talem vero in reliqua Roſſia nuſquam, nedum in Sibiria obſervavi, ubi ſola G. campeſtris occurrit; ut perperam G. amarellam *Florae ſibiricae* inſeruerit *Gmelinus*. Sapor G. Amarellae amaricans. Floret per Auguſtum et Septembrim. In pratis alpinis Oſſetiae et Georgiae, ad origines fluviorum Terec et Aragi, praeſertim a Cel. *Güldenſtädt* lecta.

Radix fibroſo-ramoſa. *Caulis* herbaceus, incurvato-erectus, raro pedalis, tereti-tetragonus, rubens, ramis axillaribus, ſtrictis, paucifloris. *Folia* oppoſita, ovato-acuta, ſemiamplexicaulia. *Flores* in caule et ramis terminales, breviſſime pedunculati. *Calyx* corolla dimidio brevior, tubuloſus, truncatus, margine laciniis 5. linearibus, *aequalibus* coronatus. *Corolla* hypocrateriformis, major, quam in G. campeſtri, ſeſquipollicaris, coerulea, intus fuſco-punctata; *limbo* quinqueſido, laciniis latis, ſubacutis, patentibus, azureis; faux *laciniis* 5. erectis, lacero ciliatis clauſa. *Antherae* flavae conniventes. *Germen* fuſiforme, *ſtigmate* ſimplici.

Planta in *Flora danica t. 367.* pro G. *Amarella* exhibita, certe non illa eſt, ſed G. *campeſtris* varietas.

GENTIANA glauca. Tab. XCIII. fig. 2. AB.

GENTIANA corolla quinquefida campanulata ſeſſili, foliis ovato-rotundatis.

Gentiana alpina, corolla campaniformi tubulata, foliis ovatis *Steller. MS.*

Roſſice *Goretſchafka* vel *Sokolniza ſivaja* (Горечавка или Соколница сивая).

Creſcit in ſummis alpibus Camtſchatcae, a latere humido plagam ſeptentrionalem ſpectante, magna copia, cum Ranunculis alpinis. Floret Junio, Julio et Auguſto, inque ſerum uſque autumnum videtur florere, dum corolla circa capſulam marceſcens e coeruleo viridis evadit. Semina matureſcunt Septembri.

Radix

Radix filiformi-adtenuata, ligneſcens, exilis. *Folia* radicalia in orbem congeſta ovato-rotundata, craſſiuſcula, nervis vix conſpicuis. *Caulis* ſimplex, teres, erectus, 2 ad quadriuncialis, *foliis* trium quatuorve parium, ovato-rotundatis, ſeſſilibus, minoribus, ſubcarnoſis inſtructus. *Flores* tres, raro unicus, terminalis, cum acceſſorio pari e ſummis foliorum alis: *calyx* coeruleſcens, parvus, campanulatus, quinquefidus, laciniis ſubulatis aequalibus; *corolla* calyce triplo longior, ſubventricoſa, pallide coeruleſcens, tubo albido adtenuata, limbo quinquefido, laciniis obtuſis. *Antherae* albae; *ſtigma* bifidum. *Capſula* matura, intra corollam perſiſtentem, fuſiformis, bivalvis, ut in reliquis Gentianis. *Semina* numeroſa, parva, fuſca.

Varietatem acaulem *(fig. 2. B.)*, floribus 2 vel 3 in centro foliorum radicalium ſeſſilibus, *Stellerus* in vertice alpium Inſulae Beringii, inter ſaxea fragmenta, locisque maxime vento expoſitis ad mare, obſervavit. Tabulae *fig. 2. c. d. e.* diſſectum calycem, corollam et germen jam adultum exponunt.

GENTIANA triflora. Tab. XCIII. fig. 1.

GENTIANA corollis campanulatis quinquefidis aggregato-ſeſſilibus, foliis linearibus, floralibus alterne productis.

Roſſice *Goretſchafka* vel *Sokolnitza troizwetnaja* (Горечавка или Соколница тройцвѣтная).

In orientali Sibiria, inde a Jeniſea, praeſertim vero in transbaïcalenſibus pratis alpinis frequens, a Pneumonanthe, quacum ob colorem floris ſimilem, facile confundi poteſt, verè diverſa, rigide erecta, amara, Julio et Auguſto florens.

Radix fibroſa; *folia* radicalia nulla. *Caulis* erectus, rectiſſimus, ſpithamalis, teres, inferius *foliis* exiguis, dehinc ſenſim longioribus, decuſſatim oppoſitis inſtructus. *Folia* denium ſubtripollicaria, linearia, obtuſa, ſtricta, rigidiuſcula, marginibus ſubreflexa; floralia quatuor, patentiuſcula, quorum duo magis elongata. *Flores* terminales terni ſeſſiles, rarius acceſſorio pari e proximis foliorum alis. *Calyx* purpuraſcens, inaequaliter quinquefidus, ſubſpathaceus, hinc profundius diſciſſus, laciniis lineari-acutis, alternis majoribus *(Tab. fig 1. C.)*. *Corolla* campanulata, tubo angulato albido, *limbo* obſcure coeruleo quinquefido, laciniis ſubcordatis obtuſis, baſi ad inciſuram inter ſe diſtantibus, intervallo rectilineo *(Tab. fig. 1. B. b)*. *Stamina* inaequalia, antheris erectis. *Germen* (*fig. 1. 4.*) fuſiforme, ſtigmate bifido.

GENTIANA Pneumonanthe.

GENTIANA corollis quinquefidis quinquedentatis campanulatis oppoſitis pedunculatis, foliis lanceolato-linearibus. *Lin. ſyſt. plant. I. p. 638. ſp. 5. Flor. dan. t. 269.*

Roſſice *Goretſchafka lugowaja* (Горечавка луговая), vulgo *Kuritſchjæ ſlepota* (Куричья слѣпота).

In pratis herbidis Roſſiae temperatae, totiusque Sibiriae, etiam circa Baïcalem frequens, eadem ſtatura, florumque ſpecioſitate ac europaea, ſaepe ſeſquipedali major et ſubadſcendens, imo ob caulis debilitatem reclinata, ſecundis floribus. A plebe ad epilepſiam et hydrophobiam in pul-

vere adhibita, itemque puerperis pota commendatur; laudant etiam ad coecitatem gallinarum, unde nomen plebejum. Amarities grata, debilis.

Caulis tenuior, *folia* magis lanceolata et auctiora quam in praecedenti. *Flos* terminalis unicus, reliqui axillares, omnes pedunculati. Dantur plantae uniflorae. *Calyx* profunde quinquefidus, laciniis linearibus, duabus alternis majoribus. *Corolla* major, quam G. triflorae, fauce magis dilatata, plicata, limbi *laciniis* acutioribus subserratis, interjecto *dente* ipsius plicae; adeoque structura a praecedentis flore diversissima.

GENTIANA adscendens. Tab. XCIV.

GENTIANA corollis quinquefidis quinquedentatis campanulatis oppositе sessilibus, foliis radicalibus fasciculatis. *Gmelin. Flor. sib. IV. p. 103. n. 70. tab. 51. fig. A.* (falso pro Pneumonanthe).

Gentiana decumbens *Linn. supplem. plant. p. 174.*

Rossice *Goretschafka* vel *Sokolnitza sibirskaja* (Горечавка или Соколница сибирская), in Sibiria *Sweroboi lasorevoi* (Зверобой лазоревой).

Tangutis *Dshil-dshi-ngong-ba.*

In Sibiria ulteriore, ab Irti fluvio secundum alpestre jugum ubique in declivibus et montosis, herbidis, apricis frequens planta, amaritie leni, aromatica pollens, hinc Tibetanis officinalis. Floret a Julio usque in serum Septembrim etiam ad prima frigora usque. *Variat* flore albo et ex albo-purpurascente.

Radix perennis, fibris copiosis filiformibus implexa. *Folia* radicalia dena saepe vel plura, in fasciculum collecta, lineari-lanceolata, trinervia. *Caulis* unicus vel duo a latere fasciculi foliorum, declinato-adscendentes, spithamales vel pedales, inferne nudi, in medio foliorum pari instructi, extremo floriferi et foliati. *Folia* caulina linearia. *Flores* sessiles, plerumque terminales inter ultima foliola tres, et duo paria oppositа, foliis itidem stipata; rarius terna. *Calyx* angulatus, campanulatus, minor quam G. Pneumonanthis, laciniis exilioribus, subulatis, alternis tamen itidem majoribus (*fig. A.*). *Corolla* colore forma er fere magnitudine Pneumonanthis, campanulata, quinquefida, quinqueplicata, laciniis acutis integerrimis, interjectis dentibus ipsius plicae (*fig. B.*). *Stamina* corolla dimidia breviora, antheris flavis; *germen* fusiforme, stigmate acuto.

In grandiore planta: folia radicalia paulo latiora, fere digito; flores plures, et interdum ramulus axillaris uniflorus adstat infimo pari florum sessilium.

In Itinerario meo hanc speciem perperam Gentianam punctatam appellavi.

GENTIA-

GENTIANA algida. Tab. XCV.

GENTIANA corollis quinquedentatis campanulatis ſeſſilibus punctatis, foliis radicalibus faſciculatis. *Pallas itin. III. app. p. 724. n. tab. L. fig. 2. Georgi itin. p. 203.*

Gentiana floribus terminantibus diaphanis *Gmelin. flor. ſib. IV. p. 106. n. 75.*

Gentiana alpina, corolla alba diaphana, ſtriis et punctis coeruleis varia *Steller. MS.*

Roſſice *Goretſchafka* vel *Sokolnitza ſnjegovaja* (Горечавка или Соколница снѣговая).

In ſummis cacuminibus et jugis nivalibus alpium Sibiriae orientalis, ad Jeniſeam, circa Baïcalem, in Dauuria et in Camtſchatca (vulgo ſimul cum *Rhododendro Chryſantho*) copioſe creſcit, nunquam in depreſſis vel declivioribus. Inter Junam vero et Judomam fluv. uti alias verſus orientalem oceanum plantas alpinas, eandem in depreſſis locis obſervavit *Stellerus*. Laudatiſſima, ob intenſam amaritiem, *Stellero* (*Fl. ſib. IV. p. 110.*), officinalis meretur fieri et ſubſtitui Gentianis exoticis poterit. Floret Auguſto, jam poſt nivem novam deciduam (*Georgi itin. p. 203.*).

G. *adſcendenti* proxime affinis et ſimilis, eſſentialibus tamen notis differt et male itidem a *Gmelino* pro varietate G. *Pneumonanthis*, a *Linneo* autem G. *punctatae*, habetur.

Radix perennis e ſtipite ſeneſcente trusverſo fibroſa, radiculis filiformibus craſſiuſculis albis, plures interdum caules proferens. *Folia* pallente-viridia, ſuccida, tenera, lineari-lanceolata, plura in faſciculo radicali. *Caulis* rectiſſimus, teres, a digitali ad ſpithamalem varians, duobus tribusve paribus foliorum trinervium, lato-lanceolatorum, baſi ſubvaginantium. *Flores* terni vel quaterni inter ſumma folia ſeſſiles, acceſſorio interdum uno alterove e proxima foliorum ala. *Calyx* purpuraſcens, cylindraceus, adulto flore plerumque hinc ſciſſus, ſemiquinquefidus, laciniis linearibus, quarum duae alternae majores (*fig. A.*). *Corollae* magnae campanulatae; limbo *laciniis* diſtantibus trigonis quinquedentatae, plicatae, lacteo-diaphanae, *ſtriis* quinquefariam per paria convergentibus ceu flammis, punctisque per tubum ſeriatim digeſtis, itemque atomis verſus limbum crebrioribus, livido-coeruleſcentibus, magis minusve ſaturatis, adſperſa (*fig. B.*). *Filamenta* medio incraſſata, coeruleſcentia; *antherae* erectae, citrinae. *Germen* fuſiforme, ſtigmate ſubbifido. In proceriore planta plerumque ſola puncta et com m corollae adſunt, flammulis oblitteratis. *Capſula* bivalvis, acuminata, corolla emarcida incluſa; *ſemina* copioſa, gryſea, ſcarioſo-rugoſa, fere ut Cimicifugae et Primulae nivalis. Siccatione tota planta palleſcit.

GENTIANA macrophylla. Tab. XCVI.

GENTIANA floribus quinquefidis ſeſſilibus verticillatis, foliis radicalibus caulem ſubnudum aequantibus.

Gentiana floribus confertis terminatricibus, corollis quadrifidis et quinquefidis lanceolatis, caule procumbente media parte nudo *Gmelin. flor. ſib. IV. p. 104. n. 72. tab. 52.*

Roſſice *Goretſchaſka* vel *Sokolnitza liſtovaja* (Горечавка или Сокольница листовая); in Sibiria vulgo *Sweroboi kreſtowoi* (Зверобой крестовой).

Habitu inter G. purpuream et cruciatam ita intermedia planta, uti praecedentes inter hanc et Pneumonanthen. — In omni Sibiria, praeſertim orientaliore, in herbidis, nemoroſis et montanis frequentiſſima, deficiente ibi G. cruciata. Floret Julio et Auguſto. Herba vix amaricat. Facile e ſemine educatur in hortis noſtris.

Radix transverſo ſtipite ſerpens, fibris creberrimis albentibus deſcendens. *Folia* radicalia ſaepe ſpithamalia, caule longiora, lato-lanceolata, etiam pollice latiora, quinquenervia, baſi vaginantia. *Caulis* ad latus faſciculi foliorum enatus, declinato-adſcendens, ſubnudus, uno alterove pari foliorum, praeter floralia, in ſummo caule. *Flores* in ſummo caule, ad duo paria foliorum verticillato-aggregati, ſeſſiles: *calyx* parvus, membranaceus, inaequaliter quadridentatus; *corolla* parva, tubuloſa, livido-pallens, limbo obſoletius coeruleo, quadrifido vel quinquefido, laciniis breviſſimis ſubacutis. *Capſula* perſiſtente corolla major; *ſemina* parva oblonga, fuſco-gryſea.

GENTIANA cruciata.

GENTIANA corollis quadrifidis, floribus verticillatis ſeſſilibus, caule folioſo. *Lin. ſyſt. pl. I. p. 645. ſp. 28. Jacquin. flor. auſtr. IV. t. 372.*

Roſſice *Goretſchaſka* vel *Sokolnitza kreſtobraſnaja* (Горечавка или Сокольница крестобразная); vulgo *Sokolei perelet* (Соколей перелетъ).

In pratis herbidis Roſſiae temperatae et Uralenſis jugi frequens, in Sibiria ſenſim deficit, ſuccedente G. macrophylla, quam amarore vincit.

Differt a praecedente: defectu foliorum radicalium majorum; caule crebris foliis decuſſato-oppoſitis veſtito; verticillis florum non tantum binis, ſed ſaepe quaternis bracteolis, praeter folia, ſtipatis; floribus majoribus, obſcurius coeruleis, conſtantius quadrifidis.

GENTIA-

GENTIANA altaïca. Tab. XCVII. fig. 1.

GENTIANA corolla decemfida infundibuliformi, laciniis alternis minoribus ferrulatis, caule floribus breviore.

Gentiana altaica *Laxman. Nov. Com. Petropol.*

Roſſice *Goretſchafka* vel *Sokolnitza altaiſkaja* (**Горечавка или Сокольница алтайская**).

In jugis nivalibus alpium altaïcarum frequentiſſima planta, amaritudinis fere omnis expers, aeque ac G. *pyrenaïca*, cui maxime affinis, adeo ut forte tantum pro varietate a loco natali orta ſit habenda. Praecipua enim differentia a pyrenaïca conſiſtit in magnitudine floris totiusque plantae robore majore, et in brevitate caulis flore multo brevioris, cum pyrenaïca autem eadem planta videtur eſſe G. *pumila Lin.* et Cel. *Jacquini*, cujus ſpecimina ab ipſo auctore accepta, cum pyrenaïcae exemplis collata, plane non differre video.

Radix ſimplex, ramoſo-adtenuata, tenuis, bi- vel tripollicaris. *Folia* radicalia et caulina confertim imbricata, ſubulato-linearia, acuta. *Caulis* plerumque unicus (*fig. A.*), rarius bini ternique (*fig. B.*), pollicares, ſub flore nudiuſculi, unico pari foliorum adproximato, inferius confertim folioſi. *Calyx* angulatus, aequaliter quinquefidus, laciniis acutis, baſi intervallatis. *Corolla* calyce triplo longior, bipollicari major, a tubo ſenſim dilatata, infundibuliformis, limbo decemfida, laciniis alternis paulo minoribus inciſo-ſerrulatis (*fig. a.*). *Color* corollae, ut in G. acaule, ſaturatiſſime coeruleus, flammis a tubo adſcendentibus pallidis. *Antherae* erectae, ſagittatae, flavae. *Germen* fuſiforme ſubclavatum, *ſtylo* producto, *ſtigmate* fungoſo ſimplici. *Capſula*, intra emarcido-contortum florem (*fig. c.*), ſimiliter lanceolata; *ſemina* minuta oblonga, gryſeo-fuſca. *Variat* haec planta rarius flore quadrifido et ſexfido.

GENTIANA aquatica. Tab. XCVII. fig. 2.

GENTIANA corollis tubuloſis quinquefidis quinquedentatis terminalibus, foliis imbricatis margine membranaceis. *Lin. ſyſt. pl. I. p. 641. ſp. 16. Amman. ſtirp. ruth. p. 4. tab. 1. fig. 1. Gmelin. flor. ſib. IV. p. 110. n. 76.*

Roſſice *Goretſchafka* vel *Sokolnitza kolorjetſchnaja* (**Горечавка или Сокольница колорѣчная**).

A Jeniſea fl. in Dauuriam et ad orientalem uſque Oceanum, in paſcuis arenoſis udis et aquoſis, praeſertim circa lacus et fluvios, frequentiſſima primo vere, ſub medium Maji floreſcens, et Julio ſemina ſenſim perficiens. Argute amara, unde in Dauuria ſub plebejo nomine *Starodubka* (*Стародубка*) pro medicamento domeſtico vernali colligitur. In frigidis major, quam in apricis auſtralioribus. G. *nivali* proxima videtur.

Radix annua, filiformi-adtenuata, ſubramoſa, alba. *Folia* radicalia in roſae formam confertiſſima, ovato-rotundata; caulina imbricata, ovato-ſubacuta, decuſſatim oppoſita, ora membranacea albicante. *Caules*, ex eadem roſula radicis, a duobus ad viginti, plerumque ſimplices, rarius ramoſo-dichotomi, in florente planta breviſſimi (*fig. 2. C.*), in fructificante elongati, remotiuſculis et in oblongatam figuram productis foliis (*fig. 2. D.*). *Flores* terminales, parvi: *calyx* majuſculus, pentagonus, quinquefidus, laciniis ſubulatis, acutis aequalibus (*fig. 1. e.* et aucta 2.); *corolla* angulato-plicata, extus viridi-carinata, pallide cyanea, laciniis quinque acuminatis, interjectisque dentibus minoribus (*fig. d. 1.* et aucta 2). Poſt floreſcentiam calyce et flore viridi perſiſtentibus exſeritur *capſula* longe clavata (*fig. D.* et *f. 1. 2.*), compreſſa, quae matura valvulas ſubreflectit, *ſemina*que cito effundit minuta, luteſcentia. *Variat* haec ſpecies flore albo, rariusque caule dichotomo, foliisque longioribus, in qua varietate capſulae minus elongatae eſſe ſolent.

GENTIANA bavarica.

GENTIANA uniflora, corolla infundibuliformi quinquefida ſubſerrata, foliis ovatis. *Lin. ſyſt. plant. I. p. 640. ſp. 13. Jacquin obſ. III. p. 19. t. 71. Georg. itiner. p. 203. t. 1. fig. 2.*

Roſſis *Goretſchafka odnozwetnaja* (Горечавка одноцвѣтная).

Ad Angaram et Cudam fl. circa Baïcalem lacum primo vere floret; eandemque in montibus Carpathicis legit Cel. *Laxman.*

Planta ſibirica procerior et omni parte major germanica. *Radix* filiformis ſimplex, vel fibris ramoſa. *Folia* radicalia in orbem diſpoſita, ſeſſilia, ovato-acuta. *Caulis* nudus digitalis, interdum fere dodrantalis, unico foliorum pari verſus florem, foliolisque binis floralibus inſtructus, uniflorus. *Calyx* tubuloſus, aequaliter quinquefidus, laciniis acutis. *Corolla* tubuloſa, limbo patente, aequaliter quinquefido, laciniis ovato-oblongis, ſature coeruleis, tenerrime circumſerratis. — Hinc G *vernam Linn.* quam ex Helvetia habeo, quaeque foliis obtuſiuſculis et acutis occurrit, a G. *bavarica* nullo modo diſtinctam obtinere poſſum. Erit itaque G. *verna* conjungenda G. *bavaricae*, uti G. *pumila* cum G. *pyrenaica* et forte G. *altaica*. — Longiſſime vero a G. bavarica differt G *iſlandica* corolla quinquefida infundibuliformi ſerrata, foliis lanceolatis *Flor. dan. t. 317.*

GENTIANA dichotoma.

GENTIANA corollis campanulatis quadrifidis quinquefidisque fauce ciliatis, caule dichotomo.

Gentiana pumila Centaurii minoris folio, flore piloſo *Steller fl. ochot. MS. Gmelin. Flor. ſib. IV. p. 106. tab. 51. fig. B.*

A Lena fluvio uſque ad orientalem oceanum uſque, Junio Julioque florentem legit *Stellerus*, e cujus ſiccatis ſpeciminibus eandem deſcripſi. G. *filiformi*, *quinquefoliae* et delineatae in *Flor. dan. t. 318.* adfinitate juncta eſt, ſed ab omnibus europaeis diverſa.

Radix

Radix annua, filiformi-adtenuata, exilis, alba. *Caulis* tenuis, filiformi-ſubflexuoſus, in perfectioribus dichotomus, dodrantalis, ſubfaſtigiatus. *Folia* oppoſita ad omnes dichotomias et in pedunculis, ovato-lanceolata, parvula, tenera. *Flores* terminales, breviores quam in G. nivali: *Calyx* angulato-campanulatus, fere uſque ad baſin quinquefidus, laciniis aequalibus acutis. *Corolla* purpuraſcens, campanulata, calyce paulo longior, laciniis aequalibus, oblongis, faucem fimbria interius claudentibus, vix patulis. Caeterum icon *Florae ſibiricae* plantae habitum ſatis exprimit. Flores variant numero quaternario, et colore corollae albo.

GENTIANA Centaurium.

GENTIANA corollis quinquefidis infundibuliformibus, caule dichotomo.
Lin. ſyſt. plant. I. p. 642. ſp. 19. Flor. dan. t. 617. Blakwell. icon. t. 452.

Roſſice *Goretſchafka kraſnaja* (Горечавка красная).

In herbidis, nemoroſis, udis Roſſiae temperatae et auſtralioris, uſque in Tauricam, Novam Roſſiam et Caucaſum, paſſim creſcit; floreſcit initio Julii. Amaritie cedit pluribus noſtratium Gentianarum, de quibus in antecedentibus dictum eſt. — Variat floribus albis.

GENTIANA maritima.

GENTIANA corollis quinquefidis infundibuliformibus, ſtylis geminis, caule dichotomo paucifloro. *Lin. ſyſt. plant. I. p. 643. n. 20. Barrelier. ic. 468. 469.*

Roſſice *Goretſchafka primorſkaja* (Горечавка приморская).

In limoſis, ad ductus aquarum, circa Tiflis, et paſſim ad littora Ponti Euxini obſervatur, floribus utplurimum albis.

Calycis laciniae fere capillares, floris tubus anguſtiſſimus, fauce dilatatus, laciniis limbi ſublinearibus.

CORISPERMA.

CORISPERMUM hyſſopifolium. Tab. XCVIII.

CORISPERMUM ſpicis terminalibus, foliis linearibus enerviis muticis.

Lin. ſyſt. pl. I. p. 10. Juſſieu act. pariſ. 1712. p. 244. Gmelin. Fl. ſibir. II. p. 10.

Rhagroſtis ſemine paſtinacae *Buxbaum plant. cent. III. p. 30. tab. 55.*

Roſſice *Werbludna kolosiſtaja* (Верблюдна колосистая), vel *Werbluſhje trava* (Верблюжье трава), i. e. Herba Cameli.

In arenoſis, praeſertim humidis riparum, et depreſſorum circa lacus et fluvios, per omnem Roſſiam et Sibiriam auſtraliorem uſque in Dauuriam vulgaris planta, maxime copioſa in deſertis ſterilibus ad Jaïcum ſ. Rhymnum et Irtin fluvios, dein ad Volgam. Nulla facile planta tot varietatibus, ſecundum ſolum et clima ludit, quot haec. Septentrionem verſus uſque ad Occam extenditur; ad auſtrum ultra Imperii fines. In hortis facile e ſemine educatur, ſed evadit omnibus partibus exilis. Praecipuum et gratiſſimum, cum Salſolis et Atriplicibus variis ac ſequenti ſpecie, pabulum camelis praebet, unde nomen.

Radix annua, flexuoſo-adtenuata, ſubſimplex vel fibris ramoſa, alba. Planta a dodrantali ad cubitalem altitudinem variat, in ſiccioribus erecta, in humidis patula vel diffuſa, ramis adſcendentibus, inferioribus oppoſitis, longitudine ſaepe caulem medium ſuperantibus. *Rami* reliqui alterni, inſtar caulis viridi vel rubro ſtriati, ſulcis interjectis pallidis. In majoribus plantis rami ſubdiviſe ramoſi. *Folia* per caulem et ramos alterna, mollia, lineari-acuta, acumine ſubtiliſſimo aciculari, enervia. Ex omnibus alis *ramuli* ſpica fructificante terminati. *Spicae* magis minusve confertae vel elongatae, imbricatae *bracteis* alternis ovato- vel lanceolato-acuminatis, margine albo vel rubro membranaceis, unifloris, quae cum fructu augentur. *Flos* ex ſingula bracteа apetalus, *membranula* bracteae interius oppoſita, albido-pellucida, genitalia obvolvente ſtipatus, quae dein, creſcente fructu, cum filamentis marceſcit *Stamina* in plerisque floribus tria, inter *germen* et membranulam enata *(fig. a. 1. 3.)*: horum medium longius et vegetius, lateralia ſaepe emarcida *(fig. a. 4.)* vel alterutro deficiente. In aliis ſpicis, ejusdem ſaepe plantae, floſculi interdum omnes pentandri, *ſtaminibus* adhuc duobus exterius germini adſtantibus *(fig. a. 2.)*. *Antherae* corolla exſertae, didymae, flavae. *Germen* minimum, ovatum, duobus *ſtylis* minimis inſtructum, cito excreſcit in *ſemen* ovale, planum, exterius convexiuſculum, acie arguta circumcirca marginatum, inciſura exigua ad ſtylos emarcidos vix conſpicuos. *Spicae* baſi ſemen perficiunt, dum florent apice.

Planta ſucculentior plerumque glabra, vel vix conſpicuis pilis proſtratis obſita, ad prima frigora rubeſcens, imo in Sibiria ſaepe tota ruberrima. In aridiſſimis ad Irtin *plantae* vulgo omnibus partibus exiles, pubeſcenti-canae, figura circiter, quam *Tab.* noſtra ad *A.* exprimit; his *ſemina* et ſpicae, et bracteae ſolito minora. — *Succulentae* plantae *(fig. B.)* quae ſaepe ſeſquipedales et ultra excreſcunt, bracteas latiſſimas et ſpicas ſaepe praelongas *(fig. C.)* confertim imbricatas proferunt; his ſemina maxima, etiam majora quam *fig. e.* noſtra. — Circa Baïcalem

calem legi plantas, ſaepe non magnas, ſed omnibus partibus robuſtiſſimas, ſpicis brevibus ſtrobiliformibus, lato bracteárum apparatu: cujusmodi plantae ramulum ſpiciferum, a frigore jam rubrum, *fig. D.* depinxi. — Tandem in deſerto Caſpio paſſim occurrit *varietas* in cubitali majorem ſtaturam excreſcens, ramoſiſſima, ſpicis in longitudinem plus quam ſpithamalem extenſis, bracteis ſeminiferis longe inter ſe diſtantibus; et hujus ramulum refert *fig. E.* Intermedias varietates recenſere longum eſt. — Semen Coriſpermi continet ſpirulam, quae uno apice radicula, altero in duo foliola finditur; unde affinitas naturalis cum Salſolis et Polycnemo.

CORISPERMUM ſquarroſum. Tab. XCIX.

CORISPERMUM ſpicis axillaribus ſquarroſis, foliis lanceolato-acuminatis pungentibus nervoſis.

Rhagroſtis foliis arundinaceis *Buxbaum. plant. cent. III. p. 30. t. 56.*

Roſſice *Werbljudna kolkaja* (Верблюдна колькая).

Species magis localis, quam prior, quae tantum in auſtralibus deſerti Comani et Caſpici occurrit, nec longe ultra Rhymnum verſus orientem extendi videtur; etenim ad Irtin et per omnem Sibiriam deeſt. Amat profundiſſimas arenas et aridiſſimas, et latitudine auſtraliori includitur. *Linnaeo* et *Gmelino* omnino incognita fuiſſe videtur, alias in ſpecifica differentia non haeſitaſſent. *Linnaeus* videtur e Coriſpermi hyſſopifolii varietate *fig. E.* primam ſuam ſpeciem, et e varietate ejusdem noſtra *fig. A. B. D.* ſecundam ſpeciem determinaſſe. Verum *Coriſpermum ſquarroſum* ſolus bene diſtinxit et delineavit *Buxbaumius.*

Variat magnitudine abſoluta ut C. hyſſopifolium, ſed non item relativa proportione partium. *Radix* annua, ſimplex, filiformi-adtenuata, flexuoſa. Planta tota ſicca, rigidior, lanugine cana pubeſcens. Caulis et rami teretes, ſtriis argutis prominulis albidis porcati. *Rami* in pygmaeis plantis quatuor ad radicem oppoſiti, adſcendentes, qui ſaepe medio ſurculo, qui nonnunquam vix digitalis et ſimplex, longiores. In grandioribus plantis, dantur autem cubitalibus majores, medius truncus elatior ramis iſtis radicalibus, et alterne ramoſus, uſque in apicem *(Tab.* noſtrae *fig. A.). Folia* lanceolato-acuminata, apice pungentia, nervis quinque prominulis, rigidis exarata *(fig. B.). Spicae* ex alis ramorum et foliorum paſſim laterales, ſeſſiles, breviſſime confertae *(fig. C. D.)*, undique *bracteis* ſpineſcentibus patentiſſimis muricatae. *Flos* ad ſingulam bracteam ſeſſilis, plerumque monandrus; *antherae* fugaciſſimae. *Styli* longiores quam in praecedenti. *Semina (d. 1. 2. 3.)* minora, haud marginata, ſtylis mucronato-bifida.

LIGNA Roſſica.

Tab. C.

Ligna nobiliora, colorata et elegantiora, Imperio Roſſico peculiaria ad finem hujus Voluminis *Florae* ſubjungere volui, quia arbores et frutices eodem facile omnes abſolvuntur.

Duriſſima praeſertim eminent et ad topiaria opera adhiberi poſſunt Robiniarum *n. 1. 2. 3.* Rhamni Erythroxyli *n. 8.* Taxi *n. 11.* Sorbi *n. 14.* Crataegi ſanguineae *n. 19.* Mali *n. 20.* Lonicerae tataricae *n. 23.* et Pruni ſibiricae *n. 24.* Odore balſamico inſuper nobilia ſunt Juniperi Sabinae et lyciae *n. 16.* et *17*, et Cupreſſi *n. 18.* Reliqua ob ſingularitatem addita ſunt, et praeſertim poroſa et inutilia Tamaricis gallicae *n. 12.* et Pallaſiae *n. 22.* — Utiliora in communi oeconomia Betulae Alni et incanae *n. 9. 10.* comparationis gratia hic expoſita; et quod rariora, Populi balſamiferae *n. 13.* et Ulmi pumilae n. *21.*

Finis Tomi primi Partis ſecundae.



PLATANUS *orientalis*. ЧИНАРЪ.



MORUS *tatarica*. ШЕЛКОВИЦА *или Тутъ.*


A.


b.


B.


C.1.


4.


2.


5.


3.

CUPRESSUS *sempervirens*. КИПАРИСЪ.



IUNIPERUS *communis.* МОЖЖЕВЕЛЬНИКЪ *обыкновенный.*



A.

B.

IUNIPERUS *dauurica*

МОЖЖЕВЕЛЬНИКЪ *Каменной.*





IUNIPERUS *1. Lycia; 2. Sabina.* МОЖЖЕВЕЛЬНИКЪ *1. Каменной; 2. Казацкой.*



IUNIPERUS *phoenicea.*[2] МОЖЖЕВЕЛЬНИКЪ *Горской*



DIOSPYROS Lotus

KYPMA



RHAMNUS *paliuroides*. ТЕГЕНЕКЪ *звѣздообразной*.



RHAMNUS *carpinifolius*. СЕЛКВА *Имеретинская*.



RHAMNUS *catharticus, Var. Sibirica*

ЖЕСТЬ *сибирской*



RHAMNUS *Erythroxylon*. ЖЕСТЬ *Ятиль*.



RHAMNUS *lycioides*

ЖЕСТЬ *таловой*



RHAMNUS. *Palinrus*. ТЕГЕНЕКЪ *или Держидерево*.



RIBES *procumbens* СМОРОДИНА *моховая*



RIBES *diacantha*

СМОРОДИНА *тараиушка*.



BERBERIS *altaica.* КИСЛИЦА *Сибирская.*



HIPPOPHAË *rhamnoides.* **ТЕРНЪ** *таловой.*



AZALEA *pontica*. ОДУРЪ *Кавказскій*.

1.A.

1.B.

2.C.

2. B.

2. A.

AZALEÆ *1. ferruginosa. 2. procumbens.*

ОДУРЬ *1. ржавой. 2. стьлагощей.*



ANDROMEDA *polifolia*

БОЛОШНИКЪ *подъбѣлъ*.



ANDROMEDÆ. *1. calyculata. 2. coerulea.*

БОЛОШНИКИ. *1. шероховатой 2. лазоревый.*





ANDROMEDÆ. 1. *lycopodioides*. 2. *hypnoides*. БОЛОТИННИКИ. 1. *Калчатыи*. 2. *Моховидныи*.
3. *ericoides*. 4. *tetragona*. 3. *Вересковыи*. 4. *толстолиственныи*.



ANDROMEDÆ 1. *Bryanthus.*
2. *Stelleriana.*

БОЛОТНИКИ 1. *стилающей*
2. *мохообразной.*



ROSA *pimpinellifolia*. ШИПОВНИКЪ *горный*.




ATRAGENE *alpina*. ВѢШЬВИНА *бѣлая*.



PALLASIA *Pterococcus*

ТОРЛОКЪ *Калмыцкой*



PALLASIA *Pterococcus*. ТОРЛОКЪ *Калмыцкой*.



TAMARIX *pentandra; varietas.* ЖИДОВНИКЪ *или Гребенщикъ.*







TAMARIX *decandra*. ЖИДОВНИКЪ *называемой Балгу*.



SALICES *1. lanata 2. Capreae varietas 3 sibirica*

ТАЛЬНИКИ *1. Шерпистый 2. Вербовой 3. Сибирской*



SALIX *berberifolia*.

ТАЛНИКЪ *сланецъ зазубористый*.


A


B


C

E


D


EPHEDRA *monostachya*.

ХВОЙНИКЪ *ягодной*.

A






B


C


d


E



POEONIA *albiflora.* МАРЬИНЪ КОРЕНЬ *бѣлои.*



POEONIA *sibirica.* МАРЬИНЪ КОРЕНЬ *Сибирской.*



POEONIA *hybrida*. МАРЬИНЪ КОРЕНЬ *ублюдокъ*.



POEONIA *tenuifolia* МАРЬИНЪ КОРЕНЬ *малороссiйской*



CYNOGLOSSUM *Rindera*.

ЧЕРЕДНИКЪ *голый*.

B.

C.

D. 1. 2. 3.

2.

1.

A.

A.

3.

SWERTSIA *rotata.* СВЕРЦИА *лазоревая.*



SVÉRTIA *1. corniculata*
2. tetrapétala.

СВЕРЦІЯ *1. Боровая*
2. Камчатская.



SVERTIA *dichotoma*

СВЕРЦІЯ *зеленая.*

A.

B.

C.

D.

1.

2. a.

2. b.

3.

GENTIANÆ *1. auriculata. 2. ciliata. 3. septemfida.*

СОКОЛНИЦА *1. хамчацкая. 2. лѣсная. 3. отливная.*



GENTIANA *triflora. 2. glauca.* СОКОЛНИЦА *1. трицвѣтная. 2 сивая.*



GENTIANA *adscendens.* СОКОЛЬНИЦА *Сибирская.*





GENTIANA *algida*.

СОКОЛЬНИЦА *сизговая*.



GENTIANA *macrophylla.* СОКОЛЬНИЦА *долголистная.*



GENTIANÆ *1. altaica.*
2 aquatica.

СОКОЛНИЦА *1. алтайская.*
2. холодноватая.



CORISPERMUM *hyssopifolium.* ВЕРБЛЮДНА *Колосистая.*

D *d 1. 2. 3.*



A

B

C

CORISPERMUM *squarrosum.* ВЕРБЛЮДНА *колкая.*

ROBINIA *altagana* 1



ROBIN. *pygm.* 2



ROBIN. *ferox* 3



BERBERIS. *radix* 4



BERBER. *lign.* 5



MESP. *Cotoneast.* 6



AMYGDAL. *nana* 7a



7b



RHAMNUS *Erythroxylon* 8



BETULA. *Alnus* 9




BETULA *incana* 10




TAXUS *baccata* 11




TAMARIX *gallica* 12



POPULUS *balsamifera* 13



SORBUS *aucuparia* 14



ELÆAGN. *angustifol.* 15



IUNIPERUS. *Sabina* 16



IUNIP. *Lycia* 17



CUPRESSUS *sempervirens* 18



CRATÆGUS *sanguin.* 19




PYRUS. *Malus* 20



ULMUS *pumila* 21



PAL. *Pterococcus* 22



LONICERA *tatarica* 23



PRUNUS *sibir.* 24



LIGNA *Rustica colorata.*